











G. V. Cor

1610
A

not mentioned by Haeser

Bibliotheca Epidemiographica


Iani Cornarij

MEDICI PHYSICI, DE peste Libri duo.

Pro totius Germaniæ, imò omnium hominum salute:

Ad Clariß. uirum, D. Hulderichum Mordisium, Illustriß. Saxoniæ Ducis ac Principis Electoris Mauricij Cancellarium scripti.

BASILEAE, PER IOannem Heruagium.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

CAPITA PRIORIS LIBRI
Iani Cornarij, De peste.
Præfatio, ac operis diuisio, ad Saxoniæ principis Electoris Cancellarium Mordisium.

CAPITA LIB. POSTERIORIS.

IANI

IANI CORNARII MEDICI PHYSICI, DE PESTE LIBRI DUO.

Ad Clarifs. uirum, D. Hulderichum Mordisium, Illustrifs. Saxoniæ ducis ac Principis Electoris Mauricij Cancellarium scripti.



N ista pestilẽtis morbi lue, quæ apud Rutenos, ut audio, Clarißime Mordisi, exorsa, mox per Liuoniam grassata est, et hinc ad Lituanos progressa, deinceps Borußiam inuasit, & superiore anno mirum in modum isthic desæuijt, & innumera hominum milia consumpsit: nunc autem Sarmatiã ac Poloniam peragrans, uicinos Quados, nunc Silesios appellatos, afflauit: rogauit me doctus ac bonus uir Ioannes Trogerus, Gordelicensium medicus Physicus, ut meam sententiam ac consilium de tam crudeli malo conscriberem, ac in publicam utilitatẽ ederem. Verùm ob multas caussas, quas referre nihil attinet, id tunc ueteri amico ac studiorum sodali non quidem denegaui: sed ut uerũ fatear, segnius attentaui. Iam uerò illo nuper è uiuis sublato, Ioannes Trogerus.

rem ipsam altius mecum expendens, & quod
" Poeta dixit, cogitans: Nam tua res agitur, paries
" dum proximus ardet: de peste cometari aliquid
statui. Et quia publicæ utilitatis, et non ad unam
tantum ætatem se extendēs opus, ad uirum cele-
brem & publica nominis fama insignem mitten-
dum esse duxi: idipsum tibi, clarißime Mordisi,
inscripsi, uiro diuinarū ac humanarū legum pe-
ritißimo, & in publicam aulæ, imò totius Duca-
tus Illustrißimi Saxoniæ Ducis ac Principis Ele-
ctoris Mauricij administrationē, locum nimirū
tantæ doctrinæ & prudentiæ ac uirtutibus ex-
plicandis aptißimū constituto, uel in primis de-
beri id ratus, ut quem longißima uita dignißimū
eße iudicē. Arbitror aūt futurū esse, ut dum hoc
meum scriptum in nominis tui splendore appa-
ret, multi id auidius arripiant, diligentius perle
gant, et ad suam utilitatē hoc insuper uelut man
gonio amplius inuitētur. Tu uerò si hanc usu-
ram patiēter et beneuolè nobis indulseris, quod
maximè uolumus, assequutos nos esse putabi-
mus. Hoc autem opus in duos libros diuidā: et in
priore quidē à natura pestis, ad causas & signa
progreßus, præseruationē simul cōprehendā. In
posteriore uerò curationē omnem diligenter ex
ponā, & rē maximè formidandā, ac dictu quoq;
horrendā, quàm breuiß. absoluā. Proinde de pe
ste

ſte dicturi, Hippocratis & Platonis methodum ſequemur. Et primũ quidẽ, ſimplex'ne res ſit peſtis, an multarũ ſpecierũ, conſiderabimus. Deinde definitionem ipſius colligemus. Tertio loco uim eius expẽdemus, quã tum ad faciendũ quid, tum ad perpetiendũ habet. Quarto, recẽſebimus cauſas, & indicabimus, quale corpus, qua de cauſa, facilè aut cõtrà, à peſte afficiatur. Quinto, ſigna futuræ aut imminentis peſtis indagabimus. Demum adijciemus præſeruationẽ, ne à peſtẽ impetamur, eiusq; fugam. His autẽ in priore libro peractis, in poſteriore mox corporis ab illa affecti ac correpti curationẽ ſubiungemus: atq; ſic ad priſtinam ſanitatem corpus ut reducendum ſit, oſtendemus.

De nat. hum. in Phædro. Methodus Hippoc. & Platonis.

Peſtis ſpecies multæ. Cap. I.

MVlta, & ferè omnia malorum genera, quæ non animantibus ſolum, ſed etiam ſtirpibus ac quibuſcunq; rebus accidunt, peſtes latinis hominibus dicuntur: & quicquid adeò in perniciẽ ac detrimentũ alicui rei undecunq; contingit, peſtis appellari ſolet. Sic Cicero Catilinã peſtẽ ciuitatis ac Reip. Ro. dixit. Et alibi: Peſtes quaſdã hominũ laude aliena dolentiũ. Et in amicitijs peſtẽ pecuniæ cupiditatẽ appellauit. Virg. etiã nauiũ exuſtionẽ, peſtẽ appellat: Et omnes, inquit, quattuor amiſsis ſeruatæ à peſte carinæ.

Peſtes rerum omnium. Aeneid. 5.

Atq; sic etiam uoluptas, & luxuria, & oratio praua, appellantur pestes: & mali doctores, ingeniorum pestes. Pestes item frugū multæ sunt, & in summa omnium rerum dicuntur: uerùm per translationem nomine usurpato ac ducto, ab ea quæ uerè & propriè pestis appellatur, de qua hic agere instituimus. Quæ etiamsi reliqua quoq; animantia impetat, ac perdat (Homerus enim & mulos, & canes, eam primùm corripuisse canit,

Pestis in brutis.

Iliad. 1. οὐρῆας μὲν πρῶτον ἐπῴχετο, καὶ κύνας ἀργοὺς:

Lib. 2. *Et Thucydides, uolucres ac quadrupedes animantes ex mortuorum in peste contactu perijsse scribit: tamen nos de ea solum quæ hominibus perniciē affert, dicemus, nisi fortaßis obiter etiam aliarum mentionem facere cogemur.*

Pestis à morbis alijs distinctio. Cap. II.

QVandoquidem uerò pestis hoc habet, ut populariter grassetur, id quod etiam alij quidam morbi faciunt, qualis est & dysenteria, exulceratio intestinorum, & quædam febrium species, uelut ardens illa & exurens, quæ & proximi belli Saxonici tempore, & anno Christi M. D. XL. in feruentißima omnium hominum memoria æstate, multa milia hominū per Germa-

Germaniam consumpsit: qualis est item dolor capitis, cum febre acuta, ac mentis emotione, qui non infrequens fuit sub nostræ adolescentiæ ætatem: itemq; ea insaniæ species, quæ paulo ante memoriam nostram, multum & diu grassata est, hominibus non decumbentibus, sed ὀρθοστάδην, ut Hippocrates appellat, discurrentibus & saltantibus, ac choreas ad extremum usque spiritum, nisi per uim inde abstracti fuissent, ducentibus: unde etiam chorea Sancti Viti appellata est, & adhuc hodie ab imprecātibus ipsam appellatur. Nam & in petras nullo discrimine facto impegerunt, & in Rhenum, ac alios fluuios saltando se præcipitarunt: distinguendum est à peste et hoc genus morborum popularium, siue populariter grassantium, id est ἐπιδημιῶν, ut Hippocrates uocat, & multa eorum genera septem libris complexus est, in quibus non solum ipsos populares morbos, quomodo uagati ac grassati sunt, describit: sed etiam ægrotos aliquot recenset, ipsorumq; affectiones ab initio ad finem usq; diligenter declarat, particulari exemplo singulorum adeò ægrorum posteritati relicto. Sed & idem Hippocrates πάγκοινα & πανδήμια νοσήματα appellat, morbos omnibus communes. Ενδημα item uocat τὰ κοινὰ, hoc est communes, eo quòd plerunq; in gente ac re-

Insania mira.

Chorea Sancti Viti.

De aere, aquis et locis.

Sudor Anglicus. regione aliqua uigeant: uelut est hodie sudor ex Anglia nomē habens, & quales sunt strumæ carnorum, etiamsi is non sit morbus letalis, sed ἐνδημος quidem, non tamen acutus in perniciem. Est itaq; etiam pestis (quam λοιμικὴν νόσον, & λοιμώδη διάθεσιν, tum Hippocrates tum Galenus appellat: λοιμὸν item ijdem & reliqui tum Medici, tum scriptores Græci uocāt) ex communibus morbis omnium perniciosissimus, & genere omnino popularis morbus est, & ad totum populariū genus referri potest, uelut una aliqua species maximè letalis. id quod Hippocrates paucis, ut solet, uerbis, summatim comprehendit, & simul ab his omnibus aliud quoddam aliorum omnium genus distinguit, & è cōtrario opponit, quod dispersum & inter se dissimile appellat his uerbis,

Morborum genera duo.

» ὁκόταν γὰρ μὴ λοιμώδεος νόσου
» τρόπος τὶς κοινὸς ἐπιδημήσῃ, ἀλλὰ σποράδες
» ἔωσιν αἱ νοῦσοι, καὶ μὴ παραπλήσιοι, ὑπὸ τουτέων
» τῶν νοσημάτων ἀποθνήσκουσι μᾶλλον, ἢ ὑπὸ
» τῶν ἄλλων τῶν ξυμπάντων, hoc est, ut ego in latino meo Hippocrate cōuerti ac dixi: Quū enim non pestilētis morbi modus quis cōmunis grassatus fuerit, sed sparsi fuerint morbi, et nō similes, ab his morbis plures moriūtur q̃ ab alijs omnib. Nullum autem proprium librum Hippocratem

De ratio. uic. acut.

de peste scripsisse, eo quòd inter populares il-
lam comprehendit, Galenus commentario eius
loci tradit.

Quid sit pestis. Cap. III.

Ex his igitur, uelut ex communi quadã con sensione, definitionem colligimus ac consti tuimus in hunc modum: Pestis est affectio mor- bosa, contagiosa, populariter grassans, aliquan- do cum tumore aut abscessu inflãmato, aut pustu lis, aut ruboribus, semper cum febre ferè acutis- sima inuadens, & breui interimens, aut de affe- cto corpore decedens. In hac descriptione si quis pro affectione morbosa, pestem morbum esse di- cere mauult, non repugno. Mihi ad morbi genus respicienti, morbosam affectionem potius, quàm morbum dicere libuit. Definiuit autem morbum Galenus, affectionem præter naturam, quæ a- ctionem lædit: quod totũ etiam de peste uel ma- ximè accipi potest. Quod autẽ pestis affectio sit contagiosa, et μεταδοτική, et populariter gras- sans, satis in superioribus declaratum est. Et in Pæti ad regem Persarum epistola, inter Hippo- craticas relata, habetur, τὰ φυσικὰ βοηθήματα οὐ λύει τὴν ἐπιδημίαν λοιμικοῦ πάθους, hoc est, Na turalia auxilia pestilentis morbi grassationem non

Pestis definitio.

Li. 1. Metho.

Morbi definitio.

Hippoc. epist. 2.

» *non soluunt. Vt rectè Poeta ille, Fluidæ cõtagio*
Lucan. lib. 5. *pestis, dixerit: siue fluidã, eo quòd de alio ad alium transeat, appellauit, siue ad abscessus iam suppurati fluxionem respexit. At uerò fieri in*
Tumores & abscessus in peste. *peste tumores inflammatos, & ignis sacri abscessus, itemq; carbunculos, qui & suppurentur & ulcerentur;* Hippocrates *lib. 3. morborum popularium, in pestilenti cõstitutione per longum exponit, ut* Galenus *satis abundè commentario in eum locum scripto declarat, & nos in multis sæpe partim uidimus, partim ex alijs narrantibus cognouimus. Quòd uero pustulæ paruæ & ulcuscula erumpere soleant,* Thucydides *in maxima suæ ætatis peste, cuius sæpe* Galenus *mentionem facit, contigisse recenset. Quan-*
Thucydidæ de peste locus, lib. 2. *doquidem autem & acutißimam febrem affectos miserè afflixisse tradit, totum eius locum*
» *ipsius uerbis adscribam·* καὶ τὸ μὲν ἔξωθεν ἁπτο-
» μένῳ σῶμα οὐκ ἄγαν θερμὸν ἦν, οὔτε χλωρόν,
» ἀλλ' ὑπέρυθρον, πελιδνόν, φλυκταίναις μικραῖς
» καὶ ἕλκεσιν ἐξηνθηκός. τὰ δ' ἐντὸς οὕτως ἐκαίε-
» το, ὥστε μήτε τῶν πάνυ λεπτῶν ἱματίων καὶ
» σινδόνων τὰς ἐπιβολάς, μήτ' ἄλλό τι, ἢ γυμ-
» νὸν ἀνέχεσθαι, ἥδιστά τε ἂν ἐς ὕδωρ ψυχρὸν σφᾶς
» αὐτοὺς ῥίπτειν, καὶ πολλοὶ τοῦτο τῶν ἠμελη-
» μένων ἀνθρώπων καὶ ἔδρασαν ἐς φρέατα, τῇ δί-
» ψῃ ἀπαύστῳ ξυνεχόμενοι. hoc est, Et corpus
extrinsecus

extrinsecus quidem ad contactum neq; ualde calidum erat, neq; luridum, sed rubicundum aliquantulum, liuidum, pustulis paruis & ulcusculis erumpentibus. Internæ uerò partes ardebant adeò, ut neq; tenuium stragulorũ ac linteorum tegmina, neq; quicquam aliud quàm nuditatem sustinerent, libentissimeq́; seipsos in frigidam aquam immisissent: & multi sanè qui neglectim haberentur, hoc ipsum fecerunt, in puteos se præcipitantes, quum siti inextinguibili tenerentur. Hæc Thucydides. Et profectò Galenus & Medici Græci, Aetius & Paulus, adeò non dubitant febrem acutissimam in peste adesse, ut etiam pestem ipsam, pestilentialem febrem appellẽt. Aliquãdo enim, dum humidior & calidior fit ambiens nos aer, pestilentem constitutionem inducit. Et quia sunt in corpore humores ex uitiato uictu ad putrefactionem idonei, hinc adeò principium fit febris pestilentis. Quapropter Hippoc. in lib. de Flatibus, febrium genera duo facit, quorum alterum, inquit, commune omnibus, pestis appellatur: alterum propter malam diætam priuatim his contingit, qui ea utuntur. Et Galenus Commentario primo in sextum librum Morborum popularium Hippocratis, πεμφιγώδεες febres ab Hippocrate appellatas, nullas alias quàm pestilentes esse censet, & ipsam

Lib. 1. de differ. feb.
Lib. 5. ca. 94.
Lib. 2. cap. 35.

Pestem dici etiam pestilentialem febrem.

ſam adeò peſtẽ. Mox enim ubi peſtilentes febres appellauit, Thucydidæ de peſte locũ iam à nobis relatũ adſcripſit, ut illius λοιμὸν palàm λοιμώδη πυρετὸν appellet. id quod etiã li. I. de Febriũ differẽtijs facit. Sũt tamẽ qui fieri poſſe putãt, ut tãta ſit corrupti aeris uis, ut uenenũ eius ad cor delatũ, prius hominẽ occidat, q̃ ullus calor febrilis emergere poſſit. Quare hæc ſola ſpecies, peſtis ſolũ, nõ etiã febris peſtilẽs dici poſſet. Quanq̃ etiã ipſe Galen. li. 9. Simp. medica. ubi de bolo armeniaca agit, quoſdam penitus ſine febre, in peſte eſſe dicat, aut parum febrire, quũ neq; uehemẽtes ſint calore febres peſtilẽtiales. Sicut quoq; compertũ eſt abſq; ullorum tumorum, abſceſſuumq; ac puſtularum apparitione abſumptos eſſe peſte ſæuiſsima correptos, uiribus ipſorum adeò attritis, ut principes partes, cor, cerebrum & hepar non potuerint ueneni uim à ſe depellere, & ad ſuos locos, quò ſe uelut emungere ſolent, reijcere. Rectè ergo in definitione additum eſt, breui ipſam interimere, aut de affecto corpore decedere. Sed de his rurſus dicendum eſt.

Peſtis abſq; febre.

Peſtis ſine abſceſsibus.

Vis & comitatus peſtis. Cap. IIII.

IAm uerò ex his quæ relata ſunt, ſatis conſtat, quæ ſit ipſius peſtis uis, & quid facere poſsit in his corporib. quæ inuaſit, præſertim quũ magnã adeò ſæuiſsimorũ ſymptomatũ, uelut truculentiſsimorũ militũ copiã ſecum trahat. Omnia

enim

enim horrēdißima, ut Paulus & Aetius ex Ru- Lib 2 ca.36.
fo tradunt, in peste fieri possunt, & nihil occul- Lib.5. c. 95.
tatum manet, quemadmodū in singulis morbis. „
Nam & deliria fieri possunt, & bilis uomitus, „
& præcordiorum distentiones, dolores, sudores „
multi, extremarum partium frigiditates, proflu „
nia alui biliosa, tenuia, flatuosa. Vrinæ aquosæ, „
tenues, biliosæ, nigræ, malas subsidentias haben- „
tes, & ea quæ in medio innatant peßima, sangui „
nis de narib. stillationes, ardores in thorace, lin „
guæ torrefactæ: siticulosi sunt, anxij, uigilantes, „
conuulsiones uiolentæ. Sed & alia praua ulcera „
& carbūculosa & perniciosa in peste fieri pos- „
sunt, & in reliquo corpore, & in facie, et in ton „
sillis. At contra tantā pestilētis morbi uim, cōtra
tantū grauißimorū symptomatum comitatum,
quantum est quod à nobis fieri potest, at ille rur
sus patiatur? Futurum & imminentem ex certis Pestis quid
signis prænoscere possumus: uenientem iam fu- pati à nobis
gere & fugare: irruentem etiam ac illapsum, de possit.
occupato corpore propellere, si Deus propitius
benignè medicamentorum facultati aspirarit.
Sed de his paulo pòst agemus. Iam enim ut cau-
sas consideremus, consequens est.

Pestis quæ sint causæ. Cap. V.

PEstis causam uetustißimas quasq; gētes ad
deos retulisse constat. & Galenus: Om- Comment. 1.
nes homines, inquit, pestes appellant & sciunt, morb. pop.
principio.
pernicio-

perniciosos morbos esse. Sed & sæpe ad deos mittunt qui percunctentur, quomodo ab ipsis sanari poßint. Quũ itaq; deos de sanatione per-
Pestis a diis. cunctentur, non aliud uidentur credere, quàm ipsas pestes ab illis immissas esse propter peccata: quæ quomodo expiare conueniat, ut illi placentur, legatos ad responsa à dijs petenda mittunt. Videtur tamen hoc alibi Galenus negare, & Hippocratem quoq; in nullo genuino ipsius scripto ad deos morborum causam referre, in Commentarijs in Prænotionum illius librum
Morbi non a diis. affirmat. Plato etiam maximos morbos ac dolores, ob peccata hominum, ex deorum ira oriri
In Phædro. tradit, & ex immissa alicui insania eosdem monere quid sit faciendum, & quòd ad preces ac
Morbi a diis. cultus deorum sit confugiendum. Atque hoc modo Homerus Calchantem uatem inducit, qui & pestis in exercitu Græcorum causam, læsum Apollinis numen docet, & quomodo numẽ placari poßit, ut pestis sedetur, dicit: nimirũ si pro neglecta contempti sacerdotis Chrysæ religione, filiã huic raptam restituant, ac centum boues immolent. Dixerat autem antea de Apolli-
Iliad. 3. no poeta, νοῦσον ἀνὰ στρατὸν ὦρσε κακὴν, ὀλέκοντο δὲ λαοί· hoc est, Immisit pestem, qui in perniciem populorum. Et ut non solum Apollinis ira pestis caussa crederetur, dixit, Διὸς δ᾽ ἐτελείετο βουλή:

βουλή. hoc est, Iouis est perfecta uoluntas. Sacræ certè literæ ueteris instrumenti Deũ pestẽ immittere multis locis testantur, & non solũ pestem, sed unà cum peste famem & bellum: & secundo Regũ quarto & uicesimo, Dauidi optio datur, an famem septem annorum, aut bellum triũ mensium, aut pestem trium dierum eligere malit. Sicut autem Dauid elegit pestem, breue & nõ diu durans malum: ita in Hieremia & Ezechiele, tria illa mala simul immittuntur. Nec ignorauit hoc Homerus dum ait, εἰ δὴ ὁμοῦ πόλεμός τε δαμᾷ καὶ λοιμὸς ἀχαιοὺς, hoc est, Namq; simul bellum domat, unà & pestis Achiuos. Sed & Thucydides pestis illius magnæ, quæ ex Aethiopia supra Aegyptum sita, initium sumpsit, & inde in Aegyptum & Libyam descendit, & hinc Persarum regis multam terræ partem occupauit, & postea Athenarum urbẽ derepentè inuasit: prædictonem talem quandã longè antea fuisse scribit: ἥξει δωριακὸς πόλεμος, καὶ λοιμὸς ἅμ' αὐτῷ. hoc est, Doriacum ueniet bellum, pestis simul inde. Quum autem dubitaretur, an de peste, aut de fame accipiendum esset, propter ambiguam uocis λοιμὸν scriptionem, quæ si per ι in priore syllaba scribatur, famem: per οι diphthongum, pestem significat: tunc demum compertum esse dicit, pestem, non famem, prædictam esse: tãto eius

Pestis cũ bello & fame.

Hier. 7. Ezech. 21. & 38.

Pestis tẽpore Thucydidæ.

mali impetu per omnem Athenarũ urbem grassante. Et nos quoq; nostro seculo Monasteriense Anabaptistarum regnum, bello & fame ac peste simul absumi uidimus: sed ita, ut non pauci etiam ex his, qui illos obsidione premerent, ijsdem malis, maximè tamen peste perirent. Non tamen aliter pestem immitti, quàm per aeris corrupti inspirationem, ac corporum peste infectorum contactum: siue is contactus ex ciborum ac potus, siue ex communis lecti, aut lauacri & balnei societate contingat: satis constat, & pro compertissimo habetur. Velut etiam suprà ex Thucydide, de uolucribus ac quadrupedibus diximus, ex mortuorum in peste contactu ea perijsse: quanquam etiam hic contactus non alio modo magis, quàm per inspirationem inficere uideatur. Nec ignorauit hoc Homerus, in omnibus sapiens Poeta, ut Plato ait. Nam de Apolline, quem eundem Solem esse scimus, dicit, quòd iratus, suspensa ex humeris pharetra descenderit de uertice Olympi, & consederit ad naues Græcorum, primumq; spicula in mulos ac canes immiserit. Deinde etiam ualdè letalia in

» ipsos homines. Ibat autem, inquit, nocti simi-
» lis, ὁ δ' ἤιε νυκτὶ ἐοικώς. Ex quibus omnibus,

solis ex corrupto nubilosoq; ac turbato aere, obscurationem significat: unde immittuntur spicula

Monasteriense regnum.

Aeris corrupti inspiratio

In Theæteto

cula in omne animantium genus, quod necessariò ex inspiratione illa excipit, quum sine aeris attractiône uiuere nullum poßit, & his spiculis ad cor, & principes partes delatis, ac infixis, perit.

Aer unde corrumpatur. Cap. VI.

Corrumpitur autem aer, ex putridis ac graueolentib. exhalationibus, uelut contingit in bello, dum mortua corpora insepulta iacent, aut non comburuntur. Idem etiam in magna fame accidere solet, ut præ multitudine morientium non sint, aut non sufficiant uespillones: quẽadmodũ auorũ ætate in Thuringis contigit, Anno Christi M.CCCC.XXXVIII. quo tempore omnes plateæ ac uiæ, & in urbibus, & in uicis ac uillis, & in itineribus per omnem regionem, ex fame, & mox sequuta peste, mortuis corporibus obsitæ fuerunt. In cuius mali memoriam hodieq; Erphordienses pistores, panes illos minutos, aut pastillos potius, Marcesios appellatos, quotannis uenum proponunt, quorum unus nucis iuglandis magnitudinem habens, tunc temporis nummo uulgari eius regionis coemptus fuit. Sed & æstatis tempore, dum lacus, aut paludes, aut alij loci cœnosi, grauem exhalationem emittunt, aer cor-

Exhalatiônes putridæ.

Thuringiaca fames ac pestis.

rumpi ſolet. Vnde in maritimis ad Oceanũ magnum urbibus contingit, ut ad finem æſtatis, & ſub autumnum ſingulis ferè annis, peſtis ſe oſtentet. Quin & ex uentis ac ſpiritibus è barathris erumpentibus, quales è Charoneis barathris appellatis prodire Galenus refert, aer corrũpitur ac uitiatur. Nã χαρωνείων legendum eſſe, & non χωρωνείων, uelut exemplaria hactenus uſque ad noſtram editionem habuerunt, Plinius indicat, cuius uerba adſcribam, ut inde Galeni loci melius intelligantur. Spiritus letales alibi, aut ſcrobibus emiſsi, aut ipſo loci ſitu mortiferi, alibi uolucribus tantum, ut Soracte uicino urbis tractu: alibi præter hominem, cæteris animantibus: nonnunquam & homini, ut in Sinueſſano agro & Puteolano ſunt, quæ ſpiracula uocãt, alij Charoneas ſcrobes, mortiferum ſpiritum exhalantes. Hæc Plinius. Videntur autem huiuſmodi ſcrobes, ubicunq; tandem locorum ſint, in communi Charoneæ appellari, quòd ad Charontem uſq;, ut arbitror, peruiæ ſint, & inde uſq; ad nos peſtiferum halitũ tranſmittant. Quapropter quod de Empedocle tradunt, ipſum obtẽtis ac circum ciuitatem obductis aſininis pellibus propulſaſſe uim uentorum, qui urbem Agrigentum multum infeſtarent: ego de nullis alijs uẽtis accipiendum puto, quàm de talibus qui ex Charoneis quibuſdam

Comment. 1. morb. popu. principio, & lib. 7. de uſu part. & Cõment in Hippoc. lib. de natu. huma.

Lib. 2. ca. 93. Plinii locus.

Empedoclis machinamentum in peſte.

dam uicinis ſcrobibus eruperint, ac exhalarint. Neq; enim uideo, quomodo alium aliquem uentum hoc machinamento prohibere potuerit, ne ciuitatem perflaret. Atq; hæ quidem ſunt cauſæ aerem corrumpentes, & ſic peſtem inducentes, externæ appellatæ & laceſſentes, tum maximè, ubi internam in corporibus antecedentē repererint. Ea autem eſt humorum putredini obnoxiorū ex praua uictus ratione collectio. Nulla enim cauſa efficax eſſe poteſt, ſine eius qui patitur aptitudine. Itaq; ſæpe compertum eſt, ut in magnis peſtis malis illæſi mā ſerint ab externi ueneni per inſpirationem attractione, qui pura ab huiuſmodi humoribus corpora habuerunt. Et contrà, qui impura, ſtatim à prima inſpiratione principiū putrefactionis acceperint, ita ut malū ſemper ampliorem progreſſum fecerit, quum illis etiamſi quid accidiſſet, facilimus ad naturalem ſtatum reditus contigerit. Neceſſe eſt enim, diſpoſitionē quandam in corporibus eſſe, ac antecedere, in quæ cauſæ externæ impreſſionem facere debent. Atq; hoc eſt quod Ariſtoteles dixit, actiones eorum quæ agendi uim habent, tum demum potenter agere, ubi in corpora ad perpetiendum idonea inciderunt. Quapropter etiam quum aeris temperies à naturali ſtatu, ad humiditatem ac caliditatem, immodicè exceſſum fe-

Cauſa peſtis interna.

Lib. 2. de anima.

Aer calidus & humidus, peſtilens.

cerit, pestilentes morbos fieri neceße est, & ab ipsis maximè affici eos qui iam pleni sunt superflua humiditate. Sed iam ad signa futuræ pestis prænotionem exhibentia, transeundum est.

Pestis futuræ signa. Cap. VII.

ET de eo quidem, quòd pestem à Deo immitti cognoscamus, multa sunt quæ singulos quotidiano tum suijpsorum, tum aliorum experimento monent. Si enim uideas mundum uitijs omnis generis corruptum, ac reuera immundum, diuina pariter ac humana omnia contemnentem, sua curantẽ, aliena negligẽtem, præter

Hominũ peruersitas.

charitatis Christianæ rationem, pro suo commodo omnia metientẽ: quid aliud expectes, quàm iustam Dei iram? Rectè enim commonuit scriptor epistolæ illius, in qua dicit, Omnis trãsgres-

Heb. 2.

sio & inobedientia iustã præmij repensationem accepit. Nam etiamsi ambigua sit in græcis huius loci lectio ac intellectio (interpretes enim cõuerterunt hãc lectionẽ, πᾶσα παράβασις καὶ παρακοὴ ἔλαβεν ἔνδικον μισθαποδοσίαν: ueteres autem codices quidam non uocem παράβασις, sed παράφασις habent, quæ falsam interpretationem significat, ut etiam παρακοὴ pro falsa

&

& erronea intelligentia accipi posse uideatur) tamen eiusmodi mala, utraq; lectione ac significatione indicantur, quæ non possunt grauem magni & potentis Dei indignationem effugere. Reuera enim cernit Deus omnia uindex, ut Poeta ait, ἔχει θεὸς ἔκδικον ὄμμα: ut uel hoc tẽpore maximè non solum pestis, quæ Dauidi optabilis esse uisa est, sed & bellum & fames simul nobis immineant. Quod uerò ad tẽporum mutationes attinet, pestes maximè significant hæ, quæ ad nimiam caliditatem ac humiditatem tendunt. Nam mutationes temporũ, inquit Hippocrates, maximè pariunt morbos: & in temporibus magnæ mutationes frigoris, aut caloris: & reliqua iuxta rationem hoc modo. At contrà, si tempora anni naturali modo aliud in aliud transeant & mutentur, neq; pestem, neq; aliquẽ popularẽ morbũ fieri posse, & ratio & experientia testatur. Sed multa huc faciẽtia ex eodem loco, & ex libris morborũ popularium colligi possunt, quæ tædiosum sit omnia huc adscribere, in tanta præsertim hodie & Græcorum & Latinorum exemplarium copia. At uerò corrupti aeris nos ambientis certißima signa sunt, si uolucres in terram decidant ac pereant, ut quæ in aere degentes prius quàm homines pestis affectionẽ experiũtur. Si uerò prauæ

Temporum mutationes.

Sectione 3. aph. 1.

Volucrũ interitus.

ex terra exhalationes, & aerem uitient, & pe-
Quadrupedũ interitus. stem inducant, quadrupeda animantia prius illa corripiet. Porrò corruptione in aerem ex aquis exhalante, pisces & ranas mortuas innatare ui-
Pisciũ mors. debis. Quin & reptilium omnis generis, & murium, & cochlearum terrestrium, & erucarum, ac aliorum uermium, præter solitum morẽ mul-
Reptiliũ multitudo. titudo, ex corrupto aere ac putrefactione ortum
Lib. 17. c. 24. habet, & pestis futuræ signa sunt. Nasci autem hinc erucas, Plinius testatur: Nascitur, inquit, hoc malum tepore & humore lento. Sed exem-
Plinii locus. plaria uulgata corruptam lectionem habẽt, Nascitur hoc malum tempore humido et lento. Possent hoc loco certi siderum positus, motus, cursus, ortus, occasus, & affectiones: planetarum i-
Siderũ & planetarum prænotiones. tem inter se aspectus, pro coniunctionis aut oppositionis, sextilis item & quadrati ac trini ratione referri, qui haud dubiè non signa solum futurorum hominibus malorũ, & uel maximè pestis existunt, sed etiam aliquo modo causæ. Sed sunt hæc iam alius scientiæ, Astronomiæ, à qua Medicus omnino alienus esse non debet, quum
Astronomiæ ratio. & Hippocratem & Galenum uideat eam non auersari. Nam etiamsi utriusq; nomine circumlati libelli quidã non sint genuini, uelut huius ex mathematica scientia, prognostica De decubitu infirmorum inscriptus: illius de affectione ægrorum

rum secundum Lunam barbarissimè scriptus: tamen satis multa ad eam artem pertinentia in libro de Aere aquis & locis Hippocrates refert. Et in Prænotionum libro, ubi an quid θεῖον, id est diuinum in morbis sit, prouidere iubet. Galenus nihil aliud accipiendum esse demonstrat per uocem θεῖον, quàm aeris nos ambientis constitutionem, de qua etiã in Aphorismis dixit, ut paulo antè à nobis relatum est, & quam siderum ortu & occasu, & alijs ipsorum tum effectionibus, tum affectionibus mutari omnibus cõstat: & Galenus in Commentario in primũ librum de Morbis popularibus Hippocratis declarat, multa ad Astronomiam conferentia adducens. Sed & lib. 1. de diæta siue uictus ratione, Hippocrates hæc uerba prodit: Astrorum ortus & occasus cognoscere oportet, quo mutationes & excessus ciborum ac potuum, & uentorum, & totius mundi, ex quibus sanè morbi hominibus oriuntur, obseruare sciat. Quapropter obseruabit quidem Medicus etiam Astronomiam, sed non nimis anxiè ac superstitiose illi se addicet, neq; hinc prænotiones uelut penitus certas faciet. Nam hoc facere, si non ab arte Medica alienum, certè aliquãta magis quàm conuenit, curiosum esse uidetur: quum tot signa ac caussas euidẽtiores in propinquo habeat, per quas etiam magis ac tutius

Astronomia Medico quatenus spectanda.

persuadere, & arti fidem facere potest. Sed & μετέωρα, quæ in sublimi aere generantur, Medicus prudẽs non negliget, quum hæc exhalatione ex inferioribus sublata fiant, & ortus sui significationem præbeant. His itaq; signis nos de futuro malo admonentibus, nihil iam amplius restat, quàm ut iustam Dei iram effugiamus ac uitemus, aut declinemus, aut deprecemur: uelut iußi sumus orare, ne in tentationem mali incidamus, & à malo liberemur: & ut quatenus homini datum est, nos custodiamus ac præseruemus, de quo deinceps agendum est.

Præseruatio à peste. Cap. VIII.

CHristianus equidem homo, uitæ suæ emendatione, & oratione ad Deum, per Christum filium eius unigenitum, Dominum nostrum, precabitur: & expectabit, ut Domini uoluntas fiat: atque hoc eo magis, quòd etiam Poetam Homerum, uelut suprà diximus, uidet
Roman. 14. in Iouis uoluntatem omnia referre. Et illud Apo
" stoli sæpe memoria repetet: Siue uiuimus, siue
" morimur, Domino uiuimus & morimur: & siue
" uiuamus, siue moriamur, Domini sumus. Et satis
Horatius. piè monuit Poeta: Immortalia ne speres, monet
" annus, & almũ Quæ rapit hora diẽ. Quod uerò ad

rò ad præseruationem attinet, quam quis sibijpsi præstare potest, cauendum in primis est, ne corpora putredini obnoxios humores contrahant, id quod & ex ciborũ ac pot us multitudine, & ex eorundem quoq; uitiatione cõtingere potest. Nam sicut in superioribus diximus, aut parũ læ dũtur, aut penitus illæsi manent, qui corpora pura habent. Proinde exquisitam uictus rationem instituere oportet, eamq́; maximè ad siccitatem uergentem, quum sic corpora minimè omniũ putrefactioni sint obnoxia, cuius exemplum in lapidibus & metallis uidemus. Quandoquidẽ uerò uictus ratio se non tantum ad cibum & potum extendit, sed rerum etiam aliarum, non naturalium appellatarum, quæ tamen contra naturam non sunt, etiamsi ex his corpus necessariò alteretur, ut Galenus ait, iustũ usum comprehendit: deinceps de singulis dicemus, ab aere initium sumentes, qui primus ex illarũ numero habetur, quæ senario comprehensæ sunt.

In synago, de pulf. & in arte medica.

Aeris in peste emendatio. Cap. IX.

AErẽ itaq; penitus cõtrariũ pestilẽti cõstitutioni efficere oportet, ita tamẽ, ut aliquo modo tẽporũ anni ratio habeatur. Nã etiã si humida & calida sit aeris cõstitutio in peste, ideoq;

Aeris mutatio.

ideoq; ad ſiccitatem ac frigiditatem permutationem requirat: tamen temporum anni habita ratione, hæc mitiganda ſunt in eum modum, ut ex his temperatis, tẽperamenta corporibus inducantur. Id quod fiet, ſi non modò peſtilenti conſtitutioni, ſed etiam affecto corpori, et anni tempori contrarium aliquo modo aerem procu raueris, iuxta illud Hippocratis: Contraria contrariorum ſunt remedia. quòd alibi dixit, ἴησις ἀντίνοον μὴ ὁμονοεῖν τῷ πάθει, hoc eſt, Sanatio contra ſentientem non conſentire affectioni. Et in Aphoriſmis præcipit: Quæcũq; perfrigerata ſunt, excalfacere oportet. Atq; hoc dictum Galenus perpetuò uerũ eſſe dicit, quòd uidelicet contraria ſola primariò & per ſe, contrariorum ſint remedia. & de eo quòd ab hoc Hippocrate rectè dictum ſit, libellum ſe ſcripturum eſſe ac demonſtraturum alibi dixit. Sed is aut ſcriptus ab eo non eſt, aut ad nos non extat: alioqui ſatis clarè inde occurreretur his, qui friuola ac frigida argumenta contra huius dicti ueritatem proferũt. Sed adſcribã Ammonij ex Cõmentario in quinq; uoces Porphyrij uerba: ὅθεν τῆς γεωμετρίας οἱ λόγοι ἄπταιστοι μένουσιν, ὡς ἔχει ἐκεῖνο παντὸς κύκλου τὰ ἀπὸ τοῦ κέντρου ἐπὶ τὴν περιφέρειαν, διαστήματα ἴσα εἰσὶν ἀλλήλοις. τοῦτο γὰρ ὡσαύτως ἔχων ἐστίν. οἱ δὲ τῆς ἰατρικῆς πταίουσιν,

Lib. 6. morb. popul. ſectione 5.

Secti. 5. apho. 19.

Lib. 11. meth:

Comment. 2. in 6. morb. popul.

Ammonii cauillum cõtra Hippocrat,

σιν, ὡς ὁ λέγων, τὰ ἐναντία τῶν ἐναντίων ἰάμα »
τα· διὰ τὸ μὴ περὶ τὸ ὡσαύτως ἔχον ἀεὶ καταγί- »
νεσθαι. πρῶτον γὰρ οὐδὲ πάντων τῶν νοσημάτων ἰά »
ματά ἐστι. τί γὰρ ἐὰν ἡ νόσος ὀλεθρία ᾖ; ἄλλως τε »
ἔστιν ὅτε οὐ τἀναντία προσάγουσιν, ἀλλὰ τὰ ὅμοια, »
ὡς ἐπὶ τῶν κατὰ συμβεβηκός. πολλάκις γὰρ ψυ- »
χρὸν ὕδωρ ἐπιχεόμενον ἠτονηκυῖαν ἤδη θερμότη »
τα ἀνεκαλέσατο. Hoc est: Geometriæ dogmata »
non uacillant, uelut illud, In omni circulo distantiæ à centro ad circumferentiam inter se æquales sunt. Hoc enim similiter se habet. At Medicinæ dicta uacillant, uelut is qui dicit, contraria contrariorum sunt remedia: eo quòd non circa id quod similiter se habet, semper contingit. Primum enim neq; omnium morborum remedia sunt. Quid enim, si morbus fuerit letalis? Et alioqui quandoq; non contraria adhibent Medici, sed similia, uelut in his quæ per accidens operantur. Sæpe enim frigida aqua affusa, debilitatam iam caliditatem reuocauit. Hæc Ammonius. At ex mero sophistico cauillo utrunq; argumentum productum esse, non eget multa demonstratione. Dixit enim Hippocrates ἰάματα, ut excluderet ea quæ curari non possunt, ut quorum non sunt ἰάματα. Nam eorũ quæ sanari possunt, solum ἰάματα dicuntur, & sunt ea reuera contraria contrariorum sola primariò & per se, si sanari

nari illa debent, uelut disertè Galenus Commentario secundo in sextum Morborũ popularium Hippocratis adiecit, & secundum Ammonij cauillũ palàm refutauit, similia etiã asserentis per accidens sanare, uelut frigida aqua sæpe affusa debilem caliditatem reuocare potest. Nam Ammonius aut Hippocratis locũ non intellexit, aut libẽter falsò citauit, aut certè ultrò quod falsum est dixit. Nõ enim simpliciter frigida aqua affusa debilitatã caliditatẽ reuocat. Tantũ enim abest ut hoc faciat, ut potius illã uincat & extinguat. Sed in frigido morbo distẽtionis ac rigoris neruorũ, tetano appellato, eoq; sine ulcere, si is
" sit in iuuene carnoso, æstate media multæ frigidæ
" affusionem, caloris reuocationem facere, Hippo
5. apho, 22. crates ait, & calorẽ hunc à frigido morbo liberare. Non autẽ in tetano solũ, sed in omni cõuulsione, hoc contingere, Galenus hunc locũ exponens ait: et ex hoc manifestũ fieri addit, quòd nõ ex sua ipsius ui, frigida morbũ sanet, sed per accidẽs, quandoquidẽ iuuenib. carnosis caloris re-

Accidẽtis ratio.

uocationem facit : id quod in alia ætate facere non posset, sicut neq; in alio tẽpore quàm in media æstate. Nam frigidæ allapsio aut insitũ calorẽ uincit, aut cõgregat. Vincit, ubi is debilis est: cõgregat, ubi fortis est, perspirationẽ ipsius cohibẽs ac impediẽs. Cauillatur igitur Ammonius,

Frigidæ aquæ uis.

& non

& non solum cauillatur, sed apertè falsa asserit. Cõsimiles sũt cauillationes, quas Galenus suprà citato loco refellit, nimirũ eorum qui fieri posse asserũt, ut caluus Medicus caluũ ægrotũ, claudus claudũ, similis similẽ curet. Nam & hæc per accidẽs contingũt. Verùm lõgius euagati, ad cõtrarium pestilenti constitutioni aerem inducendũ reuertamur. Ex hoc profectò clarã nominis famã cõsequutus est Hippocrates, in ea peste quæ ex Aethiopia exorsa, Græciã & Athenas inuasit: quæ illa adeò est, de qua Thucydides, uelut suprà ostendimus, scripsit. Nam ut Galenus ait, in multis locis per urbem extructis pyris, & odoratißima ligna, et suauißimos flores ac coronas incendit, & aromata ac ungenta inspersit, ut tum ignis siccitate, ac beneficio eius qui omnia in suã naturam conuertit, tum odorum fragrantia, corruptum aerem emendaret. Ob cuius beneficij gratiam, in maximo honore apud Athenienses habitus est, & auream statuam meruit. Idem etiam Empedocles, & Acron, Agrigentinì ambo fecerunt, etiam ante Hippocratem. Nam ambo Athenis philosophiam sectati sunt, et Parmeniden audiuerunt. Ad horũ itaq; exemplum etiam nos resiccationem ac purificationem aeris moliri possumus, pro temporum ac locorum ratione, totis pyris per urbium uicos

Pestis Thucydidæ & Hippocratis eadem.

Ad Pisonem de Theriaca.

Pyræ ignis ab Hippoc. extructæ.

constructis,

constructis, aut in priuatis domibus luculento igne excitato, mane maximè, si aer obscurus fuerit & nubilosus, ex lignis & natura & repositione siccissimis, diu antea ipsorum confectione facta. Talia sunt quernea, fagina, iuniperi, & sarmentorum uitis. Quercus etiam folia siccata, & lauri, ubi haberi possunt. His adijci possunt rosmarinus, saluia, hyssopus, sampsuchus, thymus, thymbra, serpillum, pulegium, & absinthium, omnia siccissima ex diutina repositione facta. Potest etiam parari suffitus, iniectis ad prunas granis iuniperi, trochiscis de camphora, & gallia muscata appellata, & his pastillis qui ad suffitum priuatim in Pharmacopolijs parantur. Potest etiam de ambra & musco quid per se igni inijci. Debet tamen in his omnibus temporum anni ratio, uelut ab initio diximus, haberi, ut pro singulorum temperamentis reparandis, aeris uel ad siccitatem ampliorem, uel ad frigiditatem & humiditatem, ut in feruentissima æstate: uel ad caliditatem aliquam, ut in hyeme, commutationes fiant. Quapropter æstate etiam aqua rosacea, aut uiolarum ac nymphеæ, per ædes ac cubicula spargi potest: imò etiam ipsæ rosæ, uiolæ, ac nymphæa, & si quæ alia frigidam facultatem habent. Potest etiam aqua pura fontana cum modico aceto diffundi. In hyeme ue-

Ligna & materia igni idonea.

Suffitus odorati.

Aquarum dispersio.

me uerò suffitus relati præstant. Reliquis temporibus iuxta horum rationem, eadem fiant. Conducit etiam odoramentis ad nares admotis frequẽter uti, præsertim in uijs publicis, cœtibusq; hominum ac concionibus. Tale autem maximè hyeme competit, quod recipit, massæ pomi ambræ unciã semis, ambræ grana tria, moschi grana quinq;: cogũtur cum aqua lauendulæ in massulam rotundã, pyxide argentea aut lignea multis foraminibus perforata excipiendam. Massæ uerò pomi ambræ cõpositio hoc modo fieri potest, ut recipiat, Styracis calamitæ boni & electi unciæ dimidium, ladani drachmas decem, ligni aloes drach. tres, caryophyllorum drach. tres, rosarum drach. tres, moschi scrupulum unum, ambræ scrupulos quinq;. Conterãtur gummosa cum pistillo calefacto, & inspersis pulueribus, omnia in massam cogantur. Competit & hoc hyeme, quòd recipit florum lauendulæ, sampsuchi, mentæ crispæ appellatæ, singulorum pugillum unum, caryophyllorũ scrupulũ unum, nucis myristicæ scrup. semis, ligni aloes scrup. semis. Incisa craßiorem in modum ligentur in syndone, forma pomi. Aestate rursus hoc conuenit, quod recipit, florum rosarum, uiolarum, nympheæ, singulorum drachmam unam, sandalorum omnium, singulorum drachmam unam aut

Odoramenta naribus admouenda.

Pomi ambræ compositio.

Pomorũ odoratorum formæ.

dimidiam, camphoræ ſcrup. unum. Contuſa in puluillũ craßiuſculũ, illigentur ſyndoni. Et hoc quod recipit, caſtorij drach. unã, cãphoræ ſcru. unũ, ſandaliorũ omniũ ſingulorũ ſcrup. unum. Contuſa illigẽtur ſyndoni, eaq́; cooperiatur ſpõgiola rara, & excipiatur pyxide argẽtea aut lignea, de iuniperi ligno maximè, ſæpe in aceto, aut roſacea tingenda. Poſſunt aũt horũ mixturæ uariari ac tẽperari, etiã pro reliquorũ anni temporũ ratione. Quandoquidẽ uerò mutatio aeris, etiã loci mutatione cõtingit: & loci mutatio non ſolum in morbis longis, ut Hippoc. ait, γλῦ μεταμείβειν σύμφορον ἐπὶ τοῖσι μακροῖσι νουσήμασιν: ſed etiam in peſte utilis eſt, ſi quis uenientem peſtem fugere poteſt, nec officijs publicis morantibus, nec rei familiaris anguſtia impeditus, nihil prius faciẽdum eſſe cenſeo. Nam quòd iã per quinquaginta annos nulla magna et uniuerſalis peſtis per Germaniã graſſata eſt, ego fugam mali non minimam cauſam eſſe puto. Ante hoc enim tempus ſæpe aliquot milia hominũ ex nõ magna admodum ciuitate conſumpta ſunt, uelut à patribus accepimus: quũ nemo adeò ex ciuibus fugeret, aut adeò ſibi caueret, ſiue pietatis & religionis, ſiue contemptus uitæ cauſa, id fecerunt. Iam uerò in hac hominũ fuga, dũ alius hic, alius alibi meliorem & purũ aerẽ quærit: & dum

Mutatio locorum

6. Morb. popul. ſect. 5.

Fuga in peſte

& dum alij in certas ædes correptis præparatas deportantur, alij etiam in suis includuntur, ita ut rebus necessarijs per fenestram aliquã immissis, nemo inde in publicum se conferat: cõtingit, ut & illi qui fugerunt ac separati sunt, seruentur: & qui reliqui manẽt, minus infestẽtur: quũ periculum etiam amplietur in populosa urbe, & magna hominum multitudine uersantibus. In fuga aũt potius adeundos esse eos locos, ubi nondum præsentis tẽporis pestis fuit, quàm eos unde discessit, rationi consentaneum esse uidetur. Quanquam ego neq; hos omnino fugiẽdos putem, si tribus ut minimum mensibus malum isthic grassari cessauit, & si nulla reliquiarũ formido sit. Qua in re si optio daretur, Locros aut Crotonem adeundi, omnibus hi loci præferendi essent: quum Plinius prodat, apud has gentes pestilentiam nunquam fuisse. & Croton in prouerbiũ abierit, quo Crotone salubrius dicitur, quicquid absolutam integritatem habet. Quapropter non temerè est quod uulgo dicitur, fugiendum esse citò, longè, tardè. Citò enim fugidum est, priusquã malum ingruat: longè, quũ ad propinquũ, quò quis se cõferat, facile sequi possit: tardè uerò, de reditu accipiendũ est, qui non fieri debet, quãdiu ulla aliqua mali suspicio adest: et nõ antea quàm tres mẽses, uelut diximus,

Pestis ubi nunquam. Lib. 2. ca. 96.

Li.7.cap. 50. præterierint, ab eo tempore quo pestis cessauit.
» Nam quod Plinius scribit: Qua in re obserua-
» tum, in meridianis partib. ad occasum Solis pe-
» stilentiam semper ire, nec unquàm ferè aliter fie
» ri nisi hyeme, nec ut ternos excedat menses: partim constans est, partim ambigit. Quòd enim ternos menses non excedat, hoc ferè ita fit: sed tamen priusquam adhuc alij tres menses finiãtur, iuxta triplicitatis signorum cœlestiũ rationem, nulli ex puro aere, ad impurum antea relictum redire satis tutum est: quum cognitũ sit reliquis qui manserũt, in tuto iam degentibus, in aere nimirum cui adsueuerunt, reduces illos peste correptos obijsse. Sed quod nunquam ferè aliter quàm hyeme fiat, aliter sæpe compertum est, & hodie comperimus: quum nullo non tempore imminere poßit, maximè tamen ad æstatis finem, & sub autumni initium ingruat. Quòd uerò in meridianis partibus ad occasum Solis pestilentiam semper ire dicit, frequens est, sed non perpetuum. Nam etiam ex septentrionalibus ac orientalibus partibus, & à Solis occasu pestis exorta, ad oppositas partes transijsse comperta est. Hoc tamẽ uerißimum est, calidam & humidam aeris in pestilentia constitutionem à meridianis partibus ingruere, et propterea meridianos uentos ac aerem maximè excludendos esse, ab his lo-

Hyems pestilens.

Meridianæ partes pestilentes.

cis in quibus habitamus: ita, ut ad orientem ac septentrionem illi pateant, indeq; aerem excipiant: non tamen serotinũ, neq; in meridie, sed matutinum, à solis tamen radijs prius illustratũ ac expurgatum. Possunt itaq; Plinij uerba ita intelligi, ut etiamsi ex alijs mundi plagis pestis progrediatur, tamen semper in meridianis partibus ad occasum Solis illam procedere, & ab ea parte maximè urgere. Verùm sufficiunt hæc de aere. ad ciborum ac potus in pestis præseruatione rationem transeamus.

Orietalis & septẽtrionalis aer.

Ciborum ac potus ratio. Cap. X.

Hippocrates equidem non solum cibũ ac potum corporis alimenta facit, sed etiam spiritum, τροφὴ γὰρ καὶ πνεῦμα, inquit. Et rursus alibi de aere & spiritu loquens. Mortalibus, inquit, uitæ, & morborum ægrotis, solus is est autor. Tantaq; omnibus corporibus spiritus necessitas est, ut siquidem omnib. alijs abstineat homo, neq; cibum sumat, neq; potum, poßit tamen dies duos uel tres & plures ducere. Si cui uerò spiritus in corpus uiæ intercipiantur, in breui parte unius diei intereat: ut uel hinc, quãto usui spiritus corpori sit, liceat æstimare. Amplius autem ab omnib. operibus aliquãdo immunes quiescunt homines. Multæ enim sunt mutationes in

Li. de alimento.

Lib. de flatibus.

uita. Verùm ab hoc opere nulla omnibus mortalibus animantibus requies cõtingit, ut cessent spiritum adducere, ac rursus exhalare. Sed & cum omnibus quæ edũtur ac bibuntur, spiritũ in corpus ingredi idem dicit: id quod ex ructibus manifestum esse ait, qui post cibos ac potus plerisq; fiunt, dum aer conclusus perruptis bullis, quibus fuerat inclusus, recurrit. Quoniam uerò de aere satis dictum est, deinceps de cibis ac potibus in præseruatione à peste cõuenientibus agemus.

Ructuum causa

Primùm igitur omnium cauẽda est uoracitas ac nimia ingluuies, ut ne plures cibos, liquidos aut siccos, quàm corpus ferre poßit, ingeramus. Omnis enim multitudo naturæ contraria est. Deinde etiam cauendum, ne uarij ac dißimiles inter se cibi assumantur, una præsertim uice. Dißimilia enim seditionem mouent, inquit Hippocrates: & alia citius, alia tardius concoquuntur. Si quis tamẽ ad tales cibos adsueuisset, ei nõ subitò mutatio facienda est. Sed indulgendum aliquatenus consuetudini. Ex multo enim tempore consueta, etiamsi deteriora fuerint, insuetis minus molestare solent, ait Hippocrates: & postea de die in diem aliquid mutandũ. Postremum, certæ sumendi cibi horæ constituẽdæ sunt. Et sicut hodie ferè prandendi ac cœnandi mos est, uni-

lib. de flatib.

2. Aphor 50

Cibi sumendi tempus

cuiq;

cuiq; hæ duæ horæ sufficere possunt, nisi quem magna adeò appetentia inuitet, ut interposito tempore cibũ sumere gestiat. Hic enim prohibẽdus non est, nec naturæ impetus inhibendus: qui si etiam certis illis horis adsit, sicut ferè in sanis corporibus contingit, eo prȯmptius etiam cibi exhibeantur. Nam famem aut sitim ferre, penitus noxiũ est, & uires exoluit, quæ uitã conseruant. Hæc uelut in uniuersum consideranda, particularibus cibis præmisimus. Ex horum autem numero panis primatum obtinet, qui si pro asueto antea cuiusq; more. haberi potest, nihil in eo amplius requirendũ uidetur. Si tamen fame, & annonæ charitate simul urgente aliquid mutari oporteat, & impuriorem, & cui nihil uel parũ de furfure decessit, pro puro & à furfure purgato edere cogamur, etiam hic lentè & paulatim mutatio facienda est: & omnino cauẽdum, ne ab extremis ad extrema transeamus, sed mediũ aliquem inter hæc modum apprehendamus. Nam ad mazam deuenire, non asuctis incommodum esset. Et hodie eius usus panis loco cessauit, qui tamen Hippocratis ætate multus fuit, & postea quoq; etiã apud milites. Pulmenti uerò uice adhuc in cibi usum uenit ordei nõ fricti farina cum aqua & sale cocta, butyro aut oleo, aut alia quadam pinguitudine affusa. Hæ autem Maza est, Panis qui commodus

ſi ordeũ frictum eſt, & hinc corrupta uoce muß noſtris appellatur. Mazan autem minus concoqui, & uentrem magis flatu implere: & ſi in ipſo diutius maneat, turbationem efficere, Galenus teſtatur, ſi ad ordeaceos panes comparetur. Ipſi tamen ordeacei panes calidis temporib. ac æſtate, ob frigidam ac ſiccã hordei naturam exhiberi poßunt, & eo quòd citius per aluum ſub eunt, quàm triticei: & hoc maximè in regionibus ac corporibus aßuetis, qualia ſunt Phryſiorum, qui ſanitatis tempore non ordeaceo tantũ, ſed etiam auenaceo pane utuntur: & ex farina fabarum, non tamẽ pura, ſed ordei farina ammixta panes faciunt. In ſumma, hodie optimi panes fiunt per omnem ferè Germaniam ex tritico, zea, quam nunc ſpeltam uocant, olyraq́; & typha: niſi quòd hæc illa aliquanto deterior eſt, ut Galenus ait. Columella Robũ appellat: quam appellationem noſtri corruptè exprimunt. Horum omnium uſus in peſte cõuenit, ſi Phryſios, ut diximus, excipias, & Vueſtphalos, & ſi qui alij populi urbani, aut rurales ex toto robo, nõ ſecretis furfuribus nigerrimos panes faciũt. Excipiendi ſunt etiam Liuones, apud quos plebeij homines ſolis furfuraceis panib. uelut alibi ſues, paſcuntur. Quanquã etiam coctura panis damnoſa ſit in urbibus ad Oceanum magnum, quæ aqua

Lib. 1. de Aliment. facult.

Panis coctura

aqua elixant, & non fornace torrent ac aßant quædam panis genera. Sicut autem cocturæ modus circa panes obseruandus est, ita etiam circa carnes, ac pisces. Sunt enim quibus aßata omnia magis competunt: sunt contrà, quibus elixa. & hac parte temporum anni rationem habere oportet, regionum item & ætatum, & maximè corporum, prout ea affecta sunt & temperata. Nā si hæc omnia humidiora fuerint, assata exigunt: si sicciora, elixa. Nec uerò hic negligenda est consuetudo, uelut paulo antea diximus. Ex carnibus porrò damnātur bubula, ceruina, hircina, ob nimiam siccitatem, & quòd ægrè concoquuntur: ouilla item & agnina, & suilla tum syluestris tum domestica, ob nimiam humiditatem: etiamsi syluestris minus de hac habeat, propter aprorum in syluis discursus & exercitationes. Laudatur uitulina duorum aut trium mensium ætatem habēs, hœdina menstrua, aut dimidium insuper mensem egressa: ueruecina maximè annicula, aut biennio nō uetustior. Et ex syluestribus caro damarum, caprearum, leporum, & cuniculorum. Nec glires improbandi uidentur, qui etiam σκίουροι appellantur, & in nostris syluis multi sunt, nec adeò uulgo aut diuitū mensis expetuntur, quum tamen olim Romæ in summis delicijs habiti sint, ut censoriæ leges eos cor

Carnes laudatæ, & contra

Glires sciuri

Lib.8. ca.57. & lib.36, ca.1 uis ademerint. ut Plinius testatur. At ex uolucri bus domesticis conueniunt galli semestres, gallinæ ac pulli ipsarũ, et capones. Columbæ autẽ & palumbes, anates, anseres tam feri quàm mãsueti, fulicæ item & mergi, & reliquæ aquaticæ improbantur. Ex syluestribus incõmodi putantur tetraones, ob duram ac ægrè coctilem carnem. Eadem ratione etiam ardeæ & grues. Meliores his sunt gallinæ betulaceæ, ab arbore cui frequẽter insident appellatæ. Sed his adhuc præstãtior habetur lagopus Plinij, Germanis ferè Græcum nomẽ appellatiõis significatione exprimẽs: phasianus itẽ & perdix, & rusticula, quã rusticam perdicẽ Martialis appellauit. His ut magnitudine cedit turdus, ita apud eundẽ poetã inter aues gloriam primã tenet. Huic proximæ sunt galeritæ, merulæ, ficedulæ, sturni, & multa parua uolucriũ genera, de quorũ cõmoditate aut cõtrà, iuxta relata iudicium fieri debet. In rariore usu nec coturnix dãnatur. Porrò ex piscib. cõueniunt marini et fluuiatiles: stagnorũ & lacuũ dãnãtur, præsertim si immundicies cloacarũ ex urbib. influentes habeãt. Nam si magni sint lacus, fundo non limoso ac cœnoso, sed arenoso ac saxoso, pisces ipsorũ laudantur, maximè si etiam fluuij per ipsos penetrent, aut in ipsos influant. Ex his tamẽ omnib. fugiẽda sunt ea genera quæ

Lacus qui optimi

squamas

ſquamas nõ habẽt: uelut ſunt anguillæ, tenchæ, lampetræ, rhombi, paſſeres, ſoleæ tũ recẽtes, tũ aßiccatæ. Harũ Latinã appellationem Saxones retinent, Græcã alterã qua πλατεῖς dicuntur, ſuperior Germania habet: Raiæ itẽ ſiue paſtinacæ aßiccatæ, & piſcis qui perticæ ſimilitudinẽ & appellationẽ noſtris habet, & ex Noruegia aſſiccatus aduehitur, ab urbe Bergẽſi, unde itidẽ appellatur. Poteſt tamẽ ex hoc genere cõger fluuiatilis admitti, quẽ ſuperior Germania rupã, inferior quappã uocat: & quæ ab oculis nomẽ habet, & oculata à quibuſdã appellatur, ob carnis duriciã ac ſiccitatẽ. Ex magnis itẽ ſturio, & capito, quẽ inferior Germania corrupta uoce cabliau uocat, nõ ſunt reprobãdi, ob carnis duriciã ac friabilitatẽ, ita ut partes tenacis ac lẽti humoris uitentur. Et horũ amborũ generũ alioqui tãta eſt præſtãtia, & in illa gẽte exiſtimatio, ut factiones inde ortæ ſint, Sturincorũ & Capitoneorũ, non aliter quàm in Italia Guelforum & Gibelinorum. At ex ſquamato genere competunt ſalmo, qui & exos, fario, aſellus corrupto noſtris nomine aſcha dictus, lucius, percæ utriuſque generis, & barbi uulgo dicti: & ex paruorum generibus à fundo noſtris nomen trahentes: & qui quod in aquis, quarum ripæ alnis cõſitæ ſunt, inde nomẽ noſtris tenẽt, alnurni appellati:

ſunt tamē qui eoſdem piſciculos amaros uocēt, gobiones item corruptum nomen apud noſtros retinentes: & in ſumma omne ſaxatilium ac petroſis aquis degentium genus, & præſertim id quod à petrarum morſu ac inhæſione appellatur. Ex teſtacea cute intectis poſſunt & cancri, & carabi, ſiue locuſtæ in rariore uſu admitti. Carabi adhuc græcum nomen retinent apud Vuiſmariam, ad Oceanum ſitam urbem, ubi & multi capiuntur, et cocti ad uicinas urbes deportantur. Carpiones autem & Praſini uulgo appellati, & alburni appellati generis omnes uitari debent, ob uiſcoſos & corruptioni obnoxios humores. Verùm multū refert in omni piſcium genere, cocturæ modus qualis fiat, qualia itē condimenta adhibeantur, id quod etiam de carnibus accipi debet: quanquam et hic aliquid regioni, & tempori ac conſuetudini tribuendū ſit, ac concedendum. Poſſunt itaq; & humiditatis ciborum emendandæ, & appetentiæ illectandæ, & concoctionis iuuandæ gratia, tales puluilli cibis inſpergi, qualis eſt hic, qui recipit: Cinamomi electi, zingiberis albi ſolidi, & non corroſi, galangæ, ſingulorum unciam dimidiam: caryophyllorū, maceris, utriuſq; drachmas duas: Cardamomi, zedorariæ, ſingulorū drachmam unam: corallij rubri, roſarum rubrarum, ſingulorum

lorum drach. unam: zacchari ad pondus omnium, aut prout cuiq; libuerit. Et hic qui recipit, caryophyllorum, cardamomi, nucis myristicæ, siue muscatæ dictæ, singulorũ drach. unã, coriandri præparati drach. duas, ramentorum eboris, corallorum rubrorum, sandalorum omnium, singulorum drach. dimidiã, radicis dictamni, tormentillæ quæ quinq; folij est, galãgæ, singulorũ drach. unã, croci drach. dimidiã, cinamomi uncias duas, cubebarũ, piperis longi, maceris, singulorum unciæ dimidium. zaccharũ potest addere quisq; prout uolet, ad drach. unã aut dimidiã huius pulueris, pro una uice edulio immittendam. Possunt & ad intinctus cum aceto huiusmodi puluilli usurpari. Ad eosdem conueniens est etiam oxalis, & petroselinum uulgare, addita modica menta, aut sampsucho, ut terantur cum aceto. Cuius alioqui usus commodissimus est, & ad bilis feruorem restinguendum, & ad corruptionem impediendam, & ad cordis ac uentriculi corroborationem. Sed iam ad legumina progrediendum est, quorum usus magna ex parte uitandus est, ob flatuosam ipsorum naturam. Pisorum & cicerũ usus tolerari potest, sed præstat iusculis ipsorum uti, non tota ipsorũ substantia. Nam horum decoctũ etiam medicamẽtaria ui urinas ciet. Conueniunt autẽ ex frumẽtis

Intinctus

para-

parata, alica ordeacea & auenacea, & ptisana, cum lacte amygdalarũ coctæ. oryza item, & ordei ac tritici farina, cum eodem lacte cocta, aut cum gallinaceo, aut caponũ, aut bubulo, aut uervecino iure. Docuimus autẽ abundè in cõmentarijs nostris medicis, quid esset alica & ptisana, & quomodo hodie in usum uenirent. Lac porrò animalium non adeò hic competit, nec dari debet, nisi uentriculo à noxijs humoribus uacuo, & hoc recens mulctum, à medio ueris usq; ad medium æstatis, si optimum est alioqui, & eas notas præfert quas Dioscorides prodidit. Quare etiã caseus, nisi optimus fuerit, uitãdus est. Nam & optimi usus moderatus esse debet. Ex oleribus conducit atriplex, blitum, portulaca, lactuca, & quæ spinacea hodie dicitur. potest his dũ coquuntur adijci petroselinum uulgare, borago & buglossum, itemq; oxalis. Sed hæ herbæ præcipuè ad lactucam addendæ sunt, quæ cruda editur unà cum nasturtio, oleo & aceto affusis. Ex ouorum generibus commodant gallinacea recentia, mollia, ita ut tremant cocta in ipsorum testa, non in sartagine frixa: non alio modo parata, nisi aquæ calidæ, in qua butyrũ liquatũ sit, incoquere uelis, testa exclusa. Nec commodant liborum genera, quæ opere pistorio, aut caseo, aut lacte, aut ouis constant, propter uiscoso-
rum

rum ac lentorum humorum ex his generationẽ. Ex fructibus arboreis cerasorum genera omnia admitti possunt, maximè tamen illud quod Rimcauianũ à regione appellatur, & quod obscuro rubore ferè nigrescit, & acidi saporis est, & assiccatũ etiã seruari solet. Ex pomorũ etiã ac pirorũ generibus optima quæq; tolerari possunt perfectißimè matura, cocta itẽ & assata, cũ aniso, fœniculo et caruo, zacchario obductis edẽda. Nec mora utraq;, ac mespila penitus auersabimur. Reliqua uerò pomorum genera uitare præstat. Nuces regiæ, auellanæ, castaneæ tostæ, amygdalæ laudantur, si cum zaccharo aut sale sumantur, & præcipuè à piscium esu. Vuæ quoq; tum recentes (non tamẽ statim ut decerptæ sunt) tum passæ utiles sunt. ficus item maximè aridæ. Et ex his quædam non solum cibi loco in usum ueniunt, sed etiam medicamentaria ui à uenenis præseruant. Ex quibus etiam antidotus illa Mithridatica constat, quam Galenus quidem lib. 2. De antidotis, Apollonio Muri attribuit: uerùm eandem penitus ex Stratone describit, uelut præsidiũ ab omni exitioso pharmaco præseruãs, Aetius: Rutæ folia xx. nuces iuglandes duas, caricas duas, salis grumum unum. Hæc, inquit, ieiuno præsumẽda dato, & à nullo letali pharmaco lædetur. Esse autẽ hanc compositionem uere Mithrida

Fructus arborum

Mithridatica antidotus lib. 13. ca. 46.

thrida

lib.23.cap.8. thridatis regis, Plinius docet his uerbis: In sanctuarijs Mithridatis maximi regis deuicti, Cn. Pompeius inuenit in peculiari cõmentario ipsius manu compositionem antidoti, è duabus nucibus siccis, item ficis totidem, & rutæ folijs uiginti simul tritis, addito salis grano: & qui hoc ieiunus sumat, nullum uenenũ nociturum ei illo die. Sed adscribã etiam Q. Sereni poetæ de hac antidoto uersus:

Antidotus uerò multis Mithridatica fertur
Consociata modis. sed Magnus scrinia regis
Quum raperet uictor, uilem deprendit in illis
Synthesin, & uulgata satis medicamina risit.
Bis denûm rutæ folium, salis & breue granum,
Iuglandesq́; duas, tereti & cum corpore ficus.
Hæc oriente die pauco conspersa Lyæo
Sumebat, metuens dederat quæ pocula matri.

At uerò præter relatos fructus competunt etiam oliuæ colymbades, ex eo quòd muriæ innatant appellatæ: capparis item fructus, ex aceto & oleo: cucumeres quoq;, & melones, & ea species quæ uulgo auguria appellatur, & apud Liuones poma rutenica dicitur, ita ut uinũ ab horum esu bibatur. granata quoq; appellata, siue punica mala laudantur: & matiana, siue cestiana, quæ uulgo corrupta ex pomis matianis uoce, poma arantia uocantur. Hæc de cibis. Porrò quod

Potus genera

quod ad potus attinet, Vinum in pestilentia, ut Plinius ait, ac peregrinationibus uim magnam auxiliandi habere dicitur. Vina itaq; subflaua, odorata, non admodum dulcia, tenuia item & non ualde fortia, qualia sunt Rhenana, Rincauiana, optima censentur, & ab his omnia quæ ad hæc proximè accedunt, ut singulis locis aliquatenus commoda haberi poßint, & si quid desit, naturis, regionibus ac consuetudini indulgeatur. Quare etiã ubi aut nõ nascũtur, aut nõ importantur uina, ceruisiæ usus concedi potest. Quæ etiamsi omnis natura frigida sit, plus aut minus, pro tritici in aliquibus locis ad ordeum, ex quo cum aqua coquitur, admixtione: tamen & frigiditas & flatuositas & malitia ipsarum emendatur, lupuli capitulorum ac florum in coctūram additione. Vnde contingit, ut quanto minus de lupulo habeant, tanto sint ceruisiæ deteriores. Laudantur itaq; & in hoc genere flauæ, moderatè odoratæ, nec dulces, nec amaræ admodum, tenues, & non tentantes caput: & prout quæq; quolibet loco ad tales proximè accedit. Damnatur contrarij generis, ut hinc pateat, quid de alba ceruisiæ specie sentiendum sit: cuius usus septentrionalibus & occidentalibus inferioris Germaniæ populis in usu est, apud quos etiam dizythum paratur, & uelut duplex cer-

lib. 33. cap. 1.

Lupuli flores

Libro 2 uisia appellatur. Nam zythũ, Dioscorides & Libro 22. fine Plinius ceruisiæ speciem quandam appellare uidentur. Neque uerò aquæ puræ fontanæ usus improbandus uidetur his qui eam bibere assueuerunt. Sed præstiterit decoctæ nobile frigus a- Aqua fontana quæ, ut poeta ait. Quid uerò sit decocta, et quo "Decocta modo fieret, per longum in commentarijs medicis docui. Etiam ad quietis ac motus rationem transeundum est.

Quietis ac motus ratio. Caput XI.

Tertio inter res non naturales loco habentur quies & motus. Nam & ex horum immoderato usu corpus aut calescit, aut siccatur, aut frigescit, aut humectatur, aut etiam qualitatum harum coniugationes incurrit. Proinde etiam de iusto horum usu uidendum est. Quum enim motu opus habet corpus, exercitium salubre est, quies autem morbosa: & contrà, ubi quiete corpus indiget, quies salubris est, exercitium autem morbosum. Exercitium itaq; quod motus uehemens est usq; ad spiritus alterationem, tria hæc corporibus inducit, partiũ instrumentalium ex mutuo affrictu duritiam, insiti a natura caloris augmentum, & spiritus motum uehementiorem. Ad quæ omnia alia bona particulatim

ticulatim consequuntur. Ad partiũ quidem duriciam, ut non facile afficiantur, & ad actiones sint robustæ: ad calorem, fortis eorum quæ digeruntur attractio, & promptior alteratio, & melior concoctio, & omnium corpusculorum diffusio, in qua solida quidem molliuntur, humida autem attenuantur. Contingit item meatus amplos reddi: ad spiritus autem uehementem motum necesse est meatus expurgari, & superflua uacuari. At hæc omnia uel maximè in pestilenti constitutione, utilißima corporibus existunt: sicut contraria his maximè noxia. Quandoquidem uerò digestioni opitulatur exercitium, incommodum est hoc, si crudorum et incoctorum, tum ciborum, tum humorum multitudo, aut in uentre, aut in uenis contineatur. Periculum est enim, ne ad omnes animales partes deferantur prius quàm concocti utilitatem de se præbeant. Quia uerò meatus expurgat, et superflua uacuat, inde sanè exercitij tempus colligitur, nimirum ante cibos exercendum esse corpus: atque hoc esse quod Hippocrates dixit in Aphorismis, labores cibos præcedant, Galenus lib. secundo & quinto de Sanitate tuenda testatur. Sed hoc mirum est, eam sententiã Galeno his locis, ex Aphorismis citante, nusquam ulla aphorismorum sectione illam hodie reperiri:

Hipp. locus & neq; in commentarijs in Aphoriſmos à Galeno recenſeri, aut exponi. Habetur tamen hodie in ſexti libri De morbis popularibus ſectionis quartæ fine. Sed Galenus eo loco neque recenſet, neque exponit, ut ſuppoſititiam eſſe eo loco inde pateat, & ex Aphoriſmis excidiſſe, non leuis coniectura ſit, unà cum ipſa etiam Galeni commentatione. At uerò hæc Hippocratis ſententia de ordine exercitiorum ac ciborum accipienda eſt, in his qui exercitio opus habẽt:

Quies quib. utilis non quòd omnibus hominibus exerceri utile ſit, quum calidis naturis quies magis competat, ue-

lib. 6. morb. popul. ſect. 4 lut idem Hippocrates ait, ἐν θέρμῳ φύσει ψῦξις, ποτὸν ὕδωρ, ἐλινύειν: hoc eſt, Calidæ naturæ frigiditas, potus aqua, quieſcere. Quapropter etiã hoc conſiderandum eſt, quod aliqui omnem motum congruum corpori quod mouetur, exercitium uocant: alij contrà, uelut diximus, eum ſolum qui uehemens eſt. Nam & ſecundum hanc rationẽ, iuxta poſteriorẽ exercitij ſignificationem, non omnes homines exercitio opus habẽt. Verùm iuxta priorem, omnes exerceri oportet conſueto maximè exercitio: à quo etiam tunc deſiſtendum eſt, quum quis aut dolere, aut delaſſari cœperit: uelut Hippocrates ait, In omni

2. Aphor. 48. corporis motu quum incœperit dolere, quieſcere ſtatim laßitudinem eximit. Sed & his qui fa-

mem tolerarunt ob inopiam, aut ultrò, aut coacti à cibis abstinent, exerceri non expedit, uelut idem Hippocrates ait, Vbi fames, non oportet laborare. Quod sanè Galenus exponit, non esse aut sanis exercitia imperanda, unà cum ciborum abstinentia: aut ægris uehementem motum inducendum cum cibi abstinentia, ita ut neque uenam secemus, neque purgemus, neque uomitum moueamus, neque frictione utamur multa, aut omnino forti motu, aut alteratione corporis: quum in his omnibus absque cibi alimento uires exolui soleant, quarum curam Hippocrates magnopere habere uidetur. Ex his igitur liquet, quomodo & quatenus in singulis exercitiorum generibus cuique progrediendum sit, & quando cessandum: nimirum ut diximus, quando spiritus alteratur, aut laßitudo sentitur: quibus item quies potior est. Et hic etiam ætatum, anni temporum, regionum, & uelut dictum est, temperamentorum ratio habenda est, & maximè omnium consuetudinis, ut à consuetis exercitijs non discedamus, sed aut in his perseueremus, aut pro eorum quæ retulimus ratione, etiam ad ampliora nos conferamus. Multa autem exercitiorum genera referuntur à Galeno in libris De sanitate tuenda, de quibus longum esset hic tractare, & super-

2. Aphor. 16

Virium ratio habenda

uacuum etiam, in tanta & Græcorum & Latinorum exemplarium copia, unde studiosi petere possunt, & si qui alij sanitatis suæ studio tenentur. Sunt enim eiusmodi libri, qui ab omnibus cognosci deberent, ob summi in uita boni ipsius sanitatis tutelam. Quandoquidem uerò etiam frictio exercitij loco adhiberi potest, & maximè si quid exercitationē impediat, etiam hac utendum est mane ante egreßionem de lecto, ita

Frictionis usus

ut initio à pedibus facto, ad crura, coxas, brachia, uentrem, pectus, dorsum, collum & caput progreßio fiat, tractione deorsum, & moderatione pro paulo antea relatorū ratione adhibita. Nec manibus solū frictio peragēda est, sed etiā asperiore aliquāto linteo. Præcipua tamē diligētia adhibēda est in fricandis locis sub alis, et ad inguina, ac retro aures: quo meatib. illorū locorum apertis, superflui expurgatio ac uacua

Balnei usus

tio fiat. Atque hic frictionis modus etiam à balneo fieri debet. Ipsum autem balneum neq; hoc tempore inutile est, iuxta easdem rationes, si quis domesticū aut priuatum balneū habeat, in quo nō sit suspicio alicuius infectionis aeris per alios inductæ. Nam ob id publica damnantur, & penitus uitanda sunt. Conueniunt autem balnea maximè his quibus à natura calor mordax est, ut fumosas superfluitates generent. His itaque

que non ſolum ſemel, ſed etiam bis lauari in die expedit, præſertim æſtate: cæteris autem cuique pro ſuo temperamento aut uitandum eſt, aut raro balneo utendum, aut omnino ad ſuperiorem conſuetudinem reſpiciendum: quum quibuſdam etiam capitis lauatio ter aut quater in menſe, cũ pedum lotione adſumpta ſufficere poßit, ex lixiuio communi cum defrictione, ac capillorum ex terſione. Sed deinceps ad ſomni & uigiliarum rationem progrediamur. Neq; enim opus eſt, ut de quiete longiores ſimus, quum ex his ſatis conſtet, quæ ſint ipſius facultates, ut quæ contraria omnia motui efficiat, ac corporib. inducat.

Somni ac uigiliarum ratio.
Caput XII.

Somnus & uigiliæ corpus alterant: ſomnus quidem ab ingeſtis cibis, uigiliæ uerò ab eorundem concoctione utiles iudicatæ. Nec ignorat Homerus ſapiẽtißimus poeta, iucundißimũ eſſe ſomnum à cibo & uini potu. Sic enim ait,

νῦν μὲν κοιμήσασθε τεταρπόμενοι φίλον ἦτορ Iliad. 9. fin.
σίτου καὶ οἴνοιο, τὸ γὰρ μένος ἐστὶ καὶ ἀλκή. id eſt, "
"Nunc dormite, cibo ac uino ſuaui exhilarati,
"Hinc etenim uires, hinc ſũt quoq; robora nobis.

A cibo enim & potu naturalis calor ad ipſorum concoctionem ad internas partes contra-

bitur, ut non sit aliud somnus quàm reditus spi-
rituum & caloris naturalis ad internas partes:
qui contrà per uigilias se exerunt, & ad exter-
Lib.10.ca.ul. nas partes extendunt. Quare rectè dixit Pli-
nius, Somnus nihil aliud est quàm animi in me-
dium sese recessus. Et Hippocrates uim somni
Lib.6.popul. explicans ait, τὸ αἷμα ἐν ὕπνῳ εἴσω μᾶλλον φεύ-
morb. sect.4
s.6. γει. hoc est, Sanguis in somno intrò magis fu-
git. Et alibi ea uerba uelut exponit, quũ ait, ἐμ-
φανέως ὁ ἐγρηγορὼς θερμότερος τὰ ἔξω, τὰ ἔσω
δὲ ψυχρότερος, καθεύδων τἀναντία. hoc est, Pa-
làm uigilans calidior externis partibus, frigi-
dior autẽ internis. Dormiẽs uice uersa. Quum
igitur somnus humores, maximè pituitosos au-
geat, & contrà eosdem uigiliæ resiccent, uiden
dum est cuique, ut pro hac ratione iustum & si
bi congruum modum seruet, ne uel superflui hu
mores nimium augeantur, aut etiam commodi
nimis resiccentur: Hippocratica sententia di-
ligentèr obseruata, qua pronunciat, Somnus &
uigiliæ, utraq; modũ excedentia, malũ. Quanq̃
nõ solum in his, sed & in alijs omnibus modum
seruandum esse, idem præcipiat, dum ait, πόνοι,
σιτία, ποτὰ, ὕπνος, ἀφροδίσια, πάντα μέ-
τρια. hoc est, Labores, cibi, potus, somnus,
res ueneræ, omnia mediocria. Quum enim sani
tas in symmetria ac conuenienti modo cõsistat,
necesse

necesse est quicquid modum excedit, quantò magis hoc facit, tantò amplius ad morbum accedere. Somnus itaq; in sano homine septē horas paulò plus minus non excedat, maximè si expergiscens nec caput, nec reliqua membra grauari sibi sentiat, & palpebras iam leues attollere possit, & nō aliquam adhuc percipiat cruditatem, ex imperfecta ciborum concoctione. Nam tunc aliquanto amplius dormire nō fuerit inutile: alioqui optimus semper in omnibus magister Hippocrates sequendus est, qui ita ait: Quod ad somnos attinet, quemadmodum secundum naturam consuetum nobis est, interdiu uigilare oportet, noctu dormire. Si uerò hoc fuerit transmutatū, peius est. Minimè uero lædi æger poterit, si dormiat manè ad tertiam diei partem. Qui uerò ab hoc tempore fiunt somni, deteriores sunt: pessimum autem est non dormire neq; noctu, neq; interdiu. Aut enim præ dolore ac afflictionibus uigiliæ adsunt: aut delyriū aderit ab hoc signo. Nā etiamsi de ægrotorum somno Hippocrates uerba facit, tamen naturalem somnū etiā in his laudat, & simul uigiliarū detrimentum addit: quū etiam in sanis acutorum morborum causæ sint uigiliæ. Ex his autem Hippocratis uerbis uidetur etiam somnus meridianus damnari. Sed concedendus tamen & hic est, his præsertim qui no

In li. prænot.

ctu uigilarunt, aut noctē insomnem duxerunt. Nec uerò in senibus hic admodum damnandus uidetur, nec in his qui sunt adsueti, duabus ab accepto cibo horis, aut coctione omnino aliquatenus peracta. Quãquam Galenus in huius loci expositione, consuetudinē non aliud quid, quàm quod secundũ naturã est Hippocratis ætate fuisse dicit. Verùm nunc, inquit, diuites contrarium faciunt, tum in alijs, tum in somno, interdiu dormientes, noctu uigilantes. At hic morbus hodie apud nostros ad infimam usq; plebem omnes inuasit, dum nocte in diem cõuersa, perpotãtes perseuerãt. Quod uerò ad decubitus formã attinet, etiam hoc tempore, sicut aliàs perpetuò, optimus est in latera. Pronus & supinus damnatur: ille ob uentriculi compreßionem, & propter incommodum tum colli, tum aliarum partium situm: hic eo quòd in tali decubitu, superfluitates ad posteriora tendentes, graues morbos inducunt, incubum, resolutionē, syderationem, morbum comitialem, & conuulsionem. Hunc tamē expergefactos iam amplecti, aliquandiu donec surgant, & membris extendendis competit, & ad animi cogitationes commodius explicandas, congruum est. At uerò de uigilia illud Hippocratis considerandum est, ὕδωρ βορὸν, καὶ ἀγρυπνίη βορόν, hoc est, aqua uorax, uigilia uorax,

Li. vi. morbo. pop. sectio. 4.

rax. Et de aqua quidem quo modo uorax ſit, hoc eſt βορoὺς, & uoraces, & multum edere ualentes faciat (hinc enim appellationem Hippocrates impoſuit) nihil hic dicere attinet. uerùm uigiliam ex eo quòd digerit ac diſcutit, uoraces facere Galenus eo loco exponit, quum naturalis calor dum ad externas partes mouetur, non paucas eſſentiæ corporis partes unà ſecum ſubducat. Quum autem duplici modo fiat uigilia, duplex etiam ad cibos finis conſequitur. Qui enim per noctem aliquid facientes, uigiles permanent, his corpus quidem uacuatur, nullum autem manifeſtum uirium detrimentum contingit. Qui uerò decumbunt, & aliquibus noctis partibus dormiunt, reliquis uigilant, his uires exoluuntur, & neq; melius appetunt, neque concoquunt, neq; ad concoctionem conſequentes naturales actiones inculpatas habent: ut qui omnes deterius ſe habeant, quàm hi qui probè dormierunt.

De his quæ excernuntur, aut ſupprimuntur. Cap. XIII.

QVinto loco inter res nõ naturales habentur ea quæ excernũtur aut ſupprimũtur. Sic enim Galenus uocat τὰ ἐκκρινόμενα ἢ ἐπεχόμενα. Excretio itaq; ſiue euacuatio multis modis fieri

fieri potest, qui si non contingant, suppreßio & retentio fit eorum quæ fortaßis excerni præstaret. Quare docti ac experti medici iudicio hic opus fuerit, ut in pestilenti cõstitutione, aut excernenda euacuet, aut retinenda supprimat. Fit igitur euacuatio per uenæ sectionem, per cucurbitularum cum scarificatione, aut sine hac, affixionem, per fluxum sanguinis narium, per purgationẽ deorsum per aluum, & sursum per uomitum, per sputi reiectionem, per urinã, per sudorem, per fluxum menstruum in fœminis, aut hæmorrhoidum in uiris, per coitum, per exhalationẽ totius corporis meatuum. His addi possunt frictio, & balneum, de quibus suprà quum de motu diceremus, mentionẽ fecimus. Dicendũ autem est de nunc relatis singulatim deinceps, quo quantũ eius fieri potest, certam quandã in his rationẽ sequamur, & ad singulos applicemus, quũ id quod unicuiq; propriũ est, nec scribi, nec dici poßit, uelut sæpe Galenus dicit, & Hippocrates libro primo de diæta siue uictus ratione docet, his uerbis: Si enim ad hæc inueniri posset, ad unãquanq; naturam & ciborũ mensura, & laborum numerus, ita ut excessus neq; supra, neq; infra modũ fiat, inuenta sanè esset exactè hominibus sanitas. Nũc uerò prædicta quidẽ omnia inuenta sunt, qualia sint: hoc autem inuenire

Euacuationis modi

Lib 3 Meth. 2. de san. tu. de opt. secta. & ad Glauco.

niri impoßibile eſt. De uenæ itaq; ſectione primùm uideamus, qui ſit in ea ſcopus ſpectandus. Quãdoquidẽ enim uenæ ſectio eſt ſanguinis euacuatio, & ſanguis utilis eſt naturæ, ita illam fieri oportet, ut qui naturæ inutilis eſt ſanguis euacuetur. Inutilis autẽ naturæ fit ſanguis dupliciter: aut quũ qualitatem ſuam non exactè ſeruat, neq; amplius uelut prius quum utilis eſſet, nutrire poteſt: aut quum tantus ſit multitudine, ut aut uires grauet, aut diſtendat, aut rumpat, aut obturet arterias & uenas. In his ergo cõmoda eſt uenæ ſectio, uelut auxilium euacuatoriũ. In alijs autem ut reuulſorium, aut deriuatorium, ubi humorum impetũ uehementiorẽ aut ad contrariũ reuellemus, aut ad obliqua deriuabimus. In hac autem uirium ratio habenda eſt, ut hæ uacuationis quantitati ſufficiant, ſiue ſemel, ſiue bis aut ter, aut ſæpius ſanguinem detrahimus. Vna autẽ eſt indicatio quam uires exhibent, ut uidelicet conſeruentur, quum ipſarum cuſtodia ad uitam ipſam nobis conferat: quam & nos nũc cõſeruare, & à morbis tueri ac præſeruare inſtituimus. Quapropter ſi nec ætas, nec uires prohibuerint, uenã ſecabimus mediã in dextri cubiti flexura, cuiq; iuſto modo ſanguinem euacuãtes, id quod prudens medicus facile iudicare poteſt, & ſua prius facta experiẽtia is cui uena ſecatur cõfirmabit.

mabit. Ita enim natura quæ corpora nostra gubernat, leuior reddita, et id quod ipsam uelut onus grauat, defouens, ei quod reliquum est facile dominabitur. Quare & concoquet quod concoqui potest, et excernet quod potest excerni, propriarũ actionũ memor, ut ait Galenus. Atq; hæc uenæ sectio semel omnino fieri potest in anno, aut ingruente uere, aut sub autũni principiũ. Nam sæpe in anno uenã secare incõmodũ est, eo quòd unà cũ multo sanguine uitalis spiritus excernitur. Quòd si his tẽporibus omissa fuerit, potest aliquo alio tẽpore assumi, ob imminẽtis mali timorẽ. Qui uerò adsueti sunt ad cucurbitularum usum, & habẽt suas causas cur his utãtur, uel cũ scarificatione, uel sine hac, nõ debent etiam hoc tempore illas omittere: alioqui inuenias qui per omnem uitã his nõ usi, nihilo minus sani degant, à quibus neq; nunc assumẽdæ sunt. Idem etiam de fluxu sanguinis nariũ accipiendum est, si cui prodire solitus sit. nequaquã impediẽdus est, nisi penitus immoderata euacuatio fiat. In non adsuetis prouocandus nõ est. Porrò de mẽsibus fœminarũ, & hæmorrhoidibus in uiris sentio supprimi nullo modo, hoc tẽpore debere, etiamsi nimius putetur aut harũ, aut illorũ fluxus. Hic enim retẽtus & suppressus, facile obnoxius reddetur corruptioni ac putrefactioni, atq; sic febri

Lib. II. methodi.

pesti-

pestilentiali. Irritare potius hæmorrhoidas ad sanguinem fundendum conabimur, & menses prouocare, tum alijs quæ hoc præstare possunt, tum calamintha & pulegio, in aqua mulsa coctis ac potis, aut ijsdem tritis ac cribratis, & aquæ mulsæ inspersis ac potis. At uerò si quis ad uenæ sectionẽ idoneus nõ sit, ut qui ex malo uictu superfluos & uitiatos humores collegisset, is uenæ sectionis & loco, & tempore, purgandus erit. Purgatio autẽ per medicamentũ humorem noxium ducens fieri debet. Potest itaq; in cõmuni dari catapotiorũ aureorũ appellatorũ drachma una: aut stomachicarũ idem pondus: aut de utrisq; simul idem pondus, additis granis tribus aut quinq;, prout uisum fuerit, de scammonio siue dacrydio appellato, & uulgo medicorũ diagridio dicto. Potest etiã è tribus catapotiorũ generibus scrupulus unus de singulis sumi, & catapotia siue pilulæ formari xv. aut xvij. cũ aliquo ex appellatis syrupis, aut alio liquore, totidem uelut dixi, granis dacrydij additis. Potest etiam fieri mixtura in modum boli, ex benedictæ laxatiuæ appellatæ drachmis tribus, & diaphœnicon drachmis duabus. Possunt quoq; hieræ à Galeno, Paulo, & Aetio præscriptæ utiliter usurpari. Præstiterit tamen docti medici consilio hac parte uti. Et si quis semel atque iterum

commo-

commodam sibi purgationem aliquam cuiuscunq; formæ comperisset, ea quotãnis semel aut bis, uelut diximus, uti. Ab hac autem uniuersali purgatione, iam deinde ad quotidianum illius medicamenti usum deueniendum est, quod Paulus libro secundo capite trigesimo sexto, ex Ru
„ fo describit his uerbis: Vtẽdũ & hac quæ præsu
„ mitur potione. Aloes partes duæ, Ammoniaci
„ thymiamatis partes duæ, myrrhæ partem unã.
„ Hæc trita in uino odorato fabæ magnitudine
„ dentur, quotidie uidelicet. Haud scio, inquit Rufus, an sit qui ex hoc potu non à peste immunis ac superior euaserit. Hæc uerba propterea maximè adscribenda duxi, ut uideant ac expendant docti medici, quanta sit ab Arabibus medicis huius medicamenti mutatio facta. Nam pro ammoniaco thymiamate, siue gutta Latinis dicta, crocum assumpserunt. Nec satis constat, qua ratione, aut quo errore, id sit commissum. Profectò si quis utriusq; uires ac facultates considerat, non uidetur ammoniacum ulla ratione ad præsentem usum, croco cedere debere, sed multis nominibus præferendum esse, ut quod supra molliendi, attrahendi, calefaciendi, ac discutiendi uim, etiam potum aluum subducit, uelut Dioscorides testatur: quum crocus in tam multo ac quotidiano usu, & tanto pondere, uix ci-

tra

tra detrimentũ usurpari poßit. Nam potũ cum aqua triũ drachmarũ pōdere, uim necandi crocum habere, idẽ Dioscórides prodit. Minus autem ab iisdẽ peccatũ est in eo quòd medicamentum in puluillum cōminutum, ex uino bibendũ à Ruso præscriptũ, ipsi in catapotiorũ formam coegerũt cum uino: quanquam & Rasis, & Auerrois apertè cum uini uncia una, aloes partes duas, croci & myrrhæ, unuscuiusq; partẽ unã, ad pondus granorũ xlviij. dari iubeant bibẽdas, non in pilularũ formã redactas deuorandas: & hoc in principio pestilentiæ, hoc est, ut ego accipio, quũ iam pestilens cōstitutio ingruit, nisi propotismatis uocẽ apud Rufum ita exprimere uoluit. Est enim medicamentum quod nō ubi pestis aliquem inuasit, accipiendum est, sed in pestilenti constitutione quotidie sumendum, gratia præseruationis, ne pestem incurramus, quũ hoc uim eam habeat, ut et biliosas ac pituitosas superfluitates educat, & humiditates in uentriculo & uenis resiccet, & à putrefactione prohibeat. Dicũtur autem προποτίσματα potiones quæ præsumuntur à ieiúnis, antea quàm aliquid cibi ingeratur. Esse autẽ singulis diebus dandũ hoc medicamentũ, etiam ipse Rasis addit, etiãsi tẽpus diei nō addat. Quòd autẽ pondus quadraginta octo granorũ, hoc est drachmæ unius pondus, dẽptis

Lib. 4. cap. de pastil. lib. 6. Coll. ca. ul.

duodecim granis, antiquũ illum philoſophũ quẽ citat, Rufum uidelicet, dare iubere Raſis dicit, hoc iam in croci tam multo & quotidiano uſu meritò ſuſpectũ eſt, quum ſi pro croco, ammonia cum ſumeretur, nihil periculi eſſet. Quare etiã poſteriores qui in catapotia medicamentũ contraxerunt, pro una quidẽ uice in cõmuni drachmã unam exhibẽt, ſed non quotidie. Nam quũ quotidie utendũ eſſe his pilulis præcipiunt, aloes drachmas duas, myrrhæ & croci utriuſq; drachmã unam, in catapotia ciceris magnitudine, cum uino optimo odorato formant, & de his quinq;, aut ſeptem, aut nouem plus minus, hora una ante cœnam deuorare iubent: Quidã etiam ſcrupulum unũ pro una uice exhibẽt, ſed bis tantum in hebdomade, aut quarto quoq; die. Et hãc moderationẽ poſteriores etiã contra præſcriptũ Auicennæ inuexerũt, qui expreßis uerbis ſic tradit: Et de medicamèto facto ex aloe, & croco, et myrrha ſumatur omni die circiter drach. una, quoniã eſt iuuatiuum: & cõfirmat ex eo ſic citans Meſue, æquales de ſingulis partes accipiendas eſſe, inſuper addens. Expendat hic eruditus medicus, quàm ſimpliciter et ſine ullo diſcrimine uterq; pronũciet de quotidiano uſu, & tanto põdere medicamẽti, nõ modò ob põdus, ſed etiã ob ipſas res quas recipit, meritò uelut diximus ſuſpecti.

Lib. 4. ca. 5. de præſer. peſtil.

de feb. put. cap. 6.

ſpecti. Quũ autẽ talia innumera in Arabibus medicis, & in ipſo Auicẽna, qui centonẽ illum ſuũ ex omnibus illis, numeroq; modoq; ſine omni collegit ac cõgeßit, reperiãtur: nõ admodũ inuidioſa res uideri deberet, ſi nõ & diſcẽtibus, & utentibus damnoſa eſſet, eſſe adhuc in tãta luce emergentiũ optimorũ autorũ medicorum Græcorũ, publicos præceptores, qui ſe in Arabũ illorũ ſcriptis mirificè oblectent, ea doceant, ea prædicẽt, & in his unicè, uelut ſus in luto, uolutari expetant. Dolorẽ itaq; nõ dißimulandum eſſe putamus, quòd meliora ingenia, ab ineptißimis doctorculis, frigidißimis ſermũculis seducũtur, ut peßima pro optimis amplectantur. Qualem nuper editũ legimus, à rhetorculis tamen quibuſdã corrogatũ, de uita Auicẽnæ, hominis barbari, qui nullã eruditã linguã nouit, ſolam Arabicã et Hebræã, ut apparet, tenuit. Nã Iudæũ, aut Mahometanũ religiõe fuiſſe, nõ eſt ambiguũ. Hic itaq; Auicẽna Hippocr. et Galeni, et aliorũ Græcorũ medicorũ libros, ab alijs in Arabicã linguã conuerſos legit quidẽ, nõ tamẽ ſatis intellexit, eoſq; & aliorũ Arabũ ſcripta excerpſit ac cõgeßit, ſibiq; adaptauit ac adſcripſit. In qua re etiãſi nihil eſſet peccati, tamẽ ſimile eſt talia ſcripta ſeq, ac ſi quis ex medicamẽtarijs libris Germanica lingua uulgatis ſe pro medico gerat, ſicut ſanè multi ſe

Auicenna

gerunt: & hoc tempore sacrificulus, omniū alioqui literarū ac bonarū artium ignarus, se gerit, & apud principes etiā uiros in honore aliquandiu fuit, donec quidā malè custoditas asini aures in illo deprehenderūt, quum alioqui etiā ex optimis libris doctos se pro medicis gerentes reprobet summus philosophus Plato. non aliter quàm ex libris nauium gubernatores prouerbio damnantur. At uerò rectæ & sinceræ medicinæ studiosis animaduertendū id est, quod ille dixit: Refert, à fonte bibatur, Qui fluit, an pigro quū stupet unda lacu. Grauißimū enim est, ut ne dicā periculosißimū ac nocētißimū, probari ac laudari, ita ut eorum præscripta sequamur, barbaros, eosq́; recentiores autores, ex superiorū temporum infelicitate, & meliorum inopia introductos ac receptos: quorū lingua omnibus ex æquo hodie ignota est, ut iudicari non poßit quid illi sua lingua prodiderint, translationibus ipsorum in latinam linguam tam barbarè factis, ut nec citra molestiam ab eruditis legantur, nec sine difficultate intelligantur, dum illi interpretes multa Arabica uocabula non intellecta omiserunt, plurima uelut repererunt, ita reliquerunt, & in summa, omnia insulsißimè transscripserunt: & interim negligi optimos & uetustißimos autores, artis medicæ inuētores ac ampliatores Græcos,

In Phędro

Mart, lib. 9.

cos, recẽs in lucem è tenebris, in quibus multis seculis delituerũt, reuocatos, & nũc etiã latinè per nos, & multos alios doctißimos uiros loquẽtes. Sint tamen, si ita fatis uisum est, illæ suũ rosæ, & uolutabra huic pecori gratissima. Nos medicos Græcos, eosdemq; optimo, autores uoluemus, uersabimus, ac sequemur, et illis ut Cadmeã uictoriam uincant permittemus. Sed iam eò unde digreßi sumus, reuertamur. Potest post purgationẽ uelut diximus factã, medicamentũ Rufi, prout ex Paulo adscripsimus, quotidie sumi. Nam etiamsi in Paulo quoq; lectio corrupta sit, tamen hanc quã reddidimus, rectã esse nõ dubitamus, & in Dolabellis in Paulum nostris satis cõprobauimus. Possunt etiam catapotia illa cõmunia appellata sumi quotidie, aut bis in hebdomade, uelut paulo antè diximus, & uelut posteriores statuerũt: nõ uelut Auicẽna iubet, & Mesue ex ipso tũ hoc, tũ alia omnia ferè ad uerbũ recitat, sicut etiã ille ex superioribus trãßcripsit: quũ nõ purgationis, sed humorũ à corruptione asseruãdorũ gratia sumãtur. Verũ de hoc genere medicamẽtorũ rursus dicendũ est. Iam ad reliqua quæ excernũtur aut supprimuntur progrediamur. Potest itaq; fieri etiã excretio ab infuso per clysterem: aut per glandes subdititias excretionem proritantes. Sed minus efficax est harũ

Dolabellæ Cornarii in Paulum

usus, & ad purgationem faciendũ, aut infusum admittendum magis præparant. Quòd si in superiore uentriculo hæreãt superflua, aut aliqua cruditas rebellis concoctioni percipiatur, uomitus commodus est, æstate præsertim, & in gracilibus & facile uomentibus, quorũ uidelicet pectus amplum est, iuxta Hippocratis in Aphorismis sententiam. Nec uerò negligenda est humorum, qui in cauernis pulmonis ac asperis arterijs colligi solent, per sputũ reiectio, ne quã circa pulmonẽ, aut costas, aut thoracẽ affectionem inducant. Et hæc excretio adiuuari potest per compositionem ex tragacantha appellatam, & quasdã alias: & per hypoglottia bechica, quòd ad tußim cõmoda sint, ut sub lingua detineãtur, ac eliquentur, ita appellata. Quin & urinæ excretionis ratio habẽda est: & hæc per puluillos diureticos ab urinæ proritatiõe appellatos, prouocari potest. Tales autem ex aniso, apio, fœniculo, petroselino, lithospermo, & similib. à quouis parari possunt, ex uino bono sumẽdi, nisi fortè quis pharmacopoliorũ compositionibus diureticis inscriptis uti malit. Sed & flatuũ & ructuum non retinendorũ, & meatuum omnium opertionis cura habeatur: quo quicquid noxij in corpore est, exhalet ac trãspiret: quum sit, ut Hippoc. ait, ἔκπνοον καὶ εἴσπνοον ὅλον τὸ σῶμα.

4. Aphor. 4.5.6

Sed

Sed & per ſudorē idem excludatur: qui & ubi ultrò oboritur, impediēdus nō eſt, & tum aliàs, tum in balneis, & à frictionibus moueri poteſt, de quibus utriſq; ſuperius, quum de motu agere mus, dictum eſt. Reſtat excretio quæ fit per coitum, cuius uſus ut in peſtilenti coſtitutione non omnino uitandus eſt, his præſertim qui in uigore ætatis conſiſtunt, carnoſiq́; ſunt, & ad coitū adſueti, & alioqui lautè uiuunt: Ita cōtrà affectis uel modicè eo utendum eſt, aut penitus abſtinendum, ne debilitato hinc cerebro & neruis, immo totius corporis uiribus ac ſpiritibus exhauſtis, caloris naturalis fiat extinctio, ut nulli ingruenti malo reſiſtere poßint. Nam ſicut hi non ſine periculo uenere utūtur: ita priores illi minimè tutò abſtinēt, ſiue uiri aut adoleſcētes, ſiue fœminæ nuptæ, aut uiduæ, aut puellæ nubiles ſint. Ego enim pro certo affirmare poſſum, in una urbe, in qua medicus cōſtitutus fui ante paucos annos, ex una familia in diuerſis ædibus habitante, quæ tamen frequēter cōueniret, ac lautè uiuere ſoleret, & fœminas nuptas, & uiduas, & nubiles puellas ómnes ad unam, peſte correptas ac abſumptas eſſe: quum mares ex ea familia magna ex parte fuga ſibi conſuluiſſent: nec adhuc ſcio an alia quàm à uiris abſtinentia, mortis illarum cauſa fuiſſe putari debeat, illo prius uelut

certo pietatis ergò constituto, quod poeta uelut
Iliad. 1 suprà citaui dixit, Διὸς δ' ἐτελείετο βουλή. Sed
quibus competat, aut non, nemo clarius docuit
uno in omnibus maximo ac admirando Hippo-
crate, cuius de hoc sententias aliquot adscribã.
λαγνείη, inquit, τῶν ἀπὸ φλέγματος νούσων ὠφέ-
λιμον, id est, Coitus morbis ex pituita commo-
dus est. Et rursus, τὰς ἐπαυξέας νούσους μίξις,
Lib. 6. morb. pop. sectio 5. id est, Augescentes morbos coitus, scilicet sa-
nat, ut pleriq; interpretes exposuerunt. Et rur-
sus, μίξις τὰ κατὰ κοιλίην σκληρύνει, hoc est,
Coitus ea quæ in uentre sunt indurat: quãquam
aliqua exemplaria pro uoce μίξις, habeant ψύ-
ξις. Et rursus, τιμοκράτει χειμῶνος κατάρρους
Lib. 5. & 7. morb. pop. μάλιστα εἰς τὰς ῥῖνας, ἀφροδισιάσαντι ἐξηράν-
θη πάντα, id est, Timocrati hyeme destilla-
tio maximè in nares: quum Venere usus es-
set, resiccata sunt omnia. Has itaq; coitus utili-
tates cõsiderantes: neq; illud quòd Hippocrates
coitum leuem esse morbũ comitialem dixit præ
termittentes: neque hoc quod Pythagoras mo-
nuit, tum demum coitu utendum esse, quũ quis
seipso infirmior fieri uelit, omittentes: rem aut
utilem, aut perniciosam, usus modo temperabi-
Tria saluberrima mus: memores tria saluberrima esse, uelut Plu-
tarchus in libro de uictus ratiõe tradit: Optimè
inquit dictũ est, uesci citra saturitatem, & non
refuge

refugere laborem, & seminis essentiam conseruare, saluberrima esse. Profectò priora duo ex his etiam Hippocrates uelut salubris diætæ capita præscripsit, ἄσκησις, inquit, ὑγιείης, ἀκορίη τροφῆς, ἀοκνίη πόνων. id est, Exercitatio sanitatis est, uesci citra saturitatem, non refugere laborem. Verùm iam deinceps ad animi affectiones transeamus. 6. Morb. popul. sect. 4

De animi affectionibus. Cap. XIIII.

Quandoquidem affectiones animi uel maximè corpus alterant, sexto & ultimo loco inter res non naturales, πάθη τὰ ψυχικὰ à Galeno recẽsentur. Proinde & in his uidendũ est, ut iustus modus seruetur, ut ne hinc affectũ corpus, in pestilenti constitutione eo facilius impetatur. Sicut enim animi mores ad temperamenta corporis sequuntur, de qua re extat Galeni liber: Ita corpus ex animi motibus ac affectibus uicißim afficitur ac alteratur. Nec pauca extant huius rei non modò apud medicos, sed etiam apud utriusq; linguæ scriptores exempla. Non hic referemus eos qui ex gaudio, à rerum lætarum nuncio, subitò exorto exspirasse feruntur: non eos quos tristitia & mœror consumpsit: non quos cupiditas aut metus uexat, qui

non solum corporibus simul affliguntur, sed illo
rum etiam externorum bonorum, quibus metu
unt, & quæ indies ampliata cupiunt, fruitione
ac usu carent. ut rectissimè ille dixerit,
Horatius Qui cupit aut metuit, iuuat illum sic domus aut (res,
» Vt lippum pictæ tabulæ, fomenta podagram.
Videamus saltem quàm perniciosa affectio sit in
uidia, domesticus tortor, possessorem suum de
die in diem ad tabem perducens. Quid uerò ira,
breuis quidem furor dicta, sed quæ grauissima
mala inducat? Hinc sunt in præsens horrendus
faciei rubor, mox teterrimus pallor, hinc totius
corporis tremor, hinc manuum ac pedum tor-
por, dum articuli ligati & motum & sensum
amittunt. Ad hæc sequuntur conuulsio, resolu-
tio, & repentinæ mortis oppressio, ipsa apople
xia. Sed præclarè uires iræ describit Hippocra
tes, cuius uerba adscribemus, ut & ipsam fugia
mus, & quieto ac sedato & læto animo dega-
mus, cuius uis est ut cordi remissionem inducat:
6.morb.pop. ὀξυθυμίη, inquit, ἀνασπᾷ καρδίην καὶ πνεύμο-
sect.5 να εἰς ἑωυτὰ, καὶ ἐς κεφαλὴν τὰ θερμὰ καὶ τὸ
» ὑγρὸν, ἡ δ' εὐθυμίη ἀφίει καρδίην. hoc est, Ex-
candescantia retrahit cor & pulmonem in seip
sa, & ad caput calida & humidum. Lætitia ue-
rò relaxat cor. Ex his uerbis iram fugiendam
esse docemur, quum cor & caput & totum cor
pus

pus, aut natura, aut affectu fuerint calidiora: sicut contrà in frigidis affectionibus, capite natura frigidiore, eadem etiam inducenda est. Atq; hoc est quod alibi idem Hippocrates facere iussit, ἐπιτηδεύειν ὀξυθυμίην ἐμποιέειν, καὶ χρώματος ἀναλήψιος εἵνεκα, καὶ ἐγχυμώσιος. hoc est, Diligentia adhibenda est, ut excandescentia inducatur, & coloris reparãdi, & sanguinis in uasa subter cuticulam colligendi gratia. Proinde etiam à grauioribus curis ac solicitudinibus abstinendum est. Et imaginationes quoque fortes, præsertim de ipsa peste excludendæ sunt, ne per eas impreßio aliqua in corpus fiat. Iucundis autem cantilenis ac musicæ instrumentis indulgendum est, & fabularum ac historiarum amœnis lectionibus ac narratiõibus, animus à curis ac cogitationibus absonis ac absurdis abducendus: quo contingat, ut sit cura & cogitatio hominibus non afflictio, sed uelut iucunda quædam animi oblectatio, dum in huiusmodi lætis narrationibus ac lectionibus uelut exspacians deambulat. Sic enim ego hæc Hippocratis uerba accipio, ψυχῆς περίπατος φροντὶς ἀνθρώποισι. hoc est, Animi deambulatio est cura hominibus. Atque hæc de animi affectionibus moderandis hoc loco sufficiunt. Et iam rerum non naturalium obseruatione præscripta, nihil superesse

2. mor. po sect. 4

uidetur,

uidetur, quod ad præseruationem à peste attineat, quàm ut puro reddito ac custodito corpore, ex iusto relatorum usu, iam ad eorum medicamentorum usum deueniamus, quæ præsumuntur ea gratia, ut corpus purum ita afficiant, ut ne qua aeris pestilentis illapsio ipsum inficere poßit, aut ullam læsionem inducere.

Medicamenta à peste præseruãtia. Caput XV.

Ex horum medicamentorum numero est etiam id quod suprà capite decimo, occasione ita ferente recensui, antidotus Mithridatica appellata. Est item Rufi medicamentum, de quo capite decimotertio per longum egimus. Ab hoc autem tradit Paulus loco citato hæc uerba: Galenus, inquit, ad pestilentes putredines armeniacam bolum in potu, & similiter ex uiperis theriacam, magnoperè prodesse ait. Profectò in peste quæ Romæ grassata est, inquit, omnes mortui sunt, quibus neutrum horum profuit. Et de theriaca quidem habetur apud Galenum in libro De theriaca ad Pisonem, ubi palàm affirmat, uisam esse hanc solam theriacam antidotum, quæ peste correptis auxiliari posset, quum nullum aliud auxilium magnitudini mali resistere posset. Et subdit, præbibentes ipsam in pestilenti constitutione omnino non permittere,

Lib. 2. cap. 36

Theriaca ex uiperis

mittere, ut à malo corripiantur. Eis autem qui iam correpti ſunt, mederi illam poſſe al:erando ac immutando inſpirati aeris maliciam, & corruptionem prohibendo. Eidem etiam in libello De theriaca ad Pamphilianum teſtimonium datur, quòd in peſte quadam omnibus alijs auxilijs inefficacibus, aliqui quidem correpti, qui eam accepiſſent conualuerint, aliqui uerò etiã perierint. Verùm omnes qui antea quàm correpti eſſent, illam accepiſſent, & periculum et tentationem etiam mali effugiſſe. At uerò de bolo Armeniaca libro nono Simplicium medicamentorũ: In magna, inquit, hac peste ſimili ei quæ Thucydidis tẽpore fuit, omnes qui biberũt hoc medicamentũ, breui ſanati ſunt. Quib. uerò non profuit, omnes mortui ſunt, neq; ab ullo alio opem ſenſerũt. Ex quo manifeſtum fit, quòd ſolis eis qui curari non poſſent, non profuerit. Bibitur autem ex uino compage tenui, moderatè diluto, ſi aut penitus febre careat homo, aut leuiter febriat. Si uerò maior ſit febris, ex ualde aquoſo. Neque uerò uehementes ſunt calore febres peſtilentiales. Hæc Galenus. Verùm quod ad theriacam attinet, magna hodie in ambiguitate uerſamur circa eius uſum: quũ, ſi iuxta Galeni ex Andromacho deſcriptionem, hodie eius fieret compoſitio, nihil ſecurius accipi poſſet.

Peſtis magna

At

At quum Arabes medici de Græcis, & è Galeno maximè transſcriptã tot modis, tot locis cor ruperint, non ſatis ſcio, quid de uſu eius pollice ri poßim, aut ſuadere debeam. Profectò ſi nihil aliud eſſet in his culpandũ, quàm quòd præſtantißimum medicamentũ, quod integerrimè apud Galenum habetur, recenſetur, expenditur ac ex ponitur, et ab Aetio ac Paulo hinc tranſſcriptũ eſt, ita miſerè ac calamitoſe perdiderunt: tamen crimine ab uno, de omnib. ſatis diſcere daretur.

Lib. 1. de ant. & ad Piſonẽ. Lib. 13. ca. 87. & inde lib. 7. cap. 11

Iam uerò quum omnia illorum talia ſint, ut meritò à nobis reprobentur ac damnentur, ſuperuacuũ eſſe uidetur uni loco immorari, ac oſtendere ipſorum antidotum magis etiam quàm ipſam peſtem fugiendam eſſe: maximè quũ posteriores illorũ expoſitores palàm fateãtur, in cõpoſitione theriacæ ſeptẽ errores cõmitti. Quorum primus ſit, quòd paſtilli theriaci, quos hoc medicamentũ recipit, nõ habeãt in ſe uiperarũ carnes. Deinde quòd pro uero balſamo, accipitur oleũ balſaminũ. Tertius, quòd pro terebinthina, accipitur reſina laricis. Quartus, quòd pro terra lẽnia, quæ ſigillũ aut etiã ſigillata dici tur, ponitur bolus Armeniaca. Quintũ errorẽ admitti dicunt, circa mellis nimiã menſurã. Sextum, circa uini uſum. Septimũ, circa totã medicamenti molem, quæ maiori quantitate componitur,

Errores circa theriacam in confeſſo

nitur, quàm Andromachi descriptio præscribit. At ego nõ septẽ solum cõmitti errores, sed totã antidotũ corruptã ac perniciosam esse iudico, si secundũ Arabũ descriptionẽ cõficiatur, prout Auicenna, aut medicamẽtarij Nicolai, aut aliorum libri illam habent: tantũ abest ut aut ita cõponendæ, aut eo modo compositæ utendæ, alicui autor esse uelim. Credo tamẽ, theriacæ compositores hodie magis sedulos ac diligentes esse, ut Galeni ex Andromacho præscriptũ sequantur, postquam à Leoniceno, & quibusdam alijs admoniti, & uiperas, & quædam alia simplicia medicamenta, ignota prius cognouerunt. Quum autem ex Aegypto uiperas ante suam ætatem petitas, idem Leonicenus scribat, quas magna abundantia in Italia esse ipse ostendit: satis indicat, ad theriacæ compositionem ipsas uiperas hodieq; recipi: etiamsi fieri posit, ut circumforanei quidã impostores, pro uera theriaca uendant, eam quæ neq; pastillos, neq; alia medicamenta habeat. Quare imperitè à quibusdã affirmatur, uiperas adhuc ignotas esse, & carnes ipsarum nõ magis in medicamentum recipi. Nam et ego pharmacopolã Thomã Misenũ Rigæ apud Liuones noui, qui & apud Venetos cõponẽdæ theriacæ modũ uiderat ac didicerat, & ipse quoq; componebat, arte quadã etiam isthic Leonicenus

uiperis

uiperis à se captis, quas per omnem ubiq; Europam haberi ac capi posse affirmabat. Hodie itaque laudatur compositio theriaca Venetorum, & Genuensium, apud quos uerisimile est partim illam parari, partim ab Alexandria paratam ab ipsis aduehi, unde superioribus temporibus uiperæ petitæ, & in Italiam ad medicamenti compositionem transuectæ sunt. Bonæ igitur & ueræ theriacæ drachma una, in ætatis uigore constitutis, in hebdomade semel aut bis, mane sex ante cibum horis, præseruationis gratia, in pestilenti cõstitutione dari potest, ita ut pro temperaturarũ, et ætatũ ac regionũ ratione, etiã plus minus de ea exhibeatur. Porrò propter relatos circa theriacã errores, quidam Mithridatica antidoto uti malũt, quòd res omnes quas illa recipit, melius haberi possunt. Sed profectò etiam hic maxima cautione opus est. Corruptissimæ enim sunt, nõ solum diuersissimæ, Arabum ac Barbarorum medicorum descriptiones, & ipsorum expositores confitentur in eius cõpositione errores circa resinam, balsamum, & mellis nimiam mensuram admitti: alioqui si rectè et ritè componeretur medicamentum, eodem modo uelut theriaca sumi posset. Nam & Andromachus ex Mithridatico quibusdam additis, quibusdam ademptis. theriacam composuit,

Theriaca Veneta, Genuensis, Alexandrina

& ex ammixtione carnium uiperarum, Theriacam ad morsus quidem uiperarum præstantiorem fecit, sed ad alia omnia nihilo est inferior Mithridatica antidotus, adeò ut in quibusdam etiã sit præstantior. Multæ tamen ac uariæ sunt, & quædam corruptæ etiam apud Galenum descriptiones antidoti Mithridaticæ. Præstantißima tamen uidetur ea quæ secunda ex ordine apud Galenum habetur. Eadem ab Aetio quoq; recẽsetur, nisi quòd pondera uariãt, quæ tamẽ si quis compositionem parare, eaq; uti uelit, facilè corrigi poßint. Nobis eas ad Latinã linguã trãscribentibus, non ita temerè faciendum esse uisum fuit, præter Græcorum exemplarium quæ sequuti sumus præscriptum. Hæc itaq; & parari poßit, & in usum assumi. Est etiã in pharmacopolijs compositio liberantis appellatione: itẽ eclegma de ouo appellatum. Horum itidem usus & manè & ad noctem assumi potest, ad præseruationem. Nam hæc alioqui etiam ad curationẽ assumuntur, in his quos pestis iam corripuit, uelut etiam relatæ antidoti. Verùm de horum iusto tunc usu in sequenti libro tractabimus. Iam uerò ab his compositis ad simplicia quædã quæ præsumuntur progrediemur. Inter hæc autẽ facile primas tenet bolus Armeniaca, de qua diximus, loco de ipsa ex Galeno adducto. Et hæc nõ

lib. 2: de ant.

lib. 5. ca. 98.

ſolum eam uim habet, ut à peſte præſeruet, ſed etiã liberet iam correptos. Verùm præſeruationis gratia ſatis eſt ut accipiatur ſcrupulus unus, hoc eſt tertia drachmæ pars, ex uino diluto, mane antea quàm quis domo progrediatur. quod tum demũ fieri debet, ubi aer à ſolis radijs fuerit illuſtratus ac expurgatus. Videtur autẽ & terra ſigillata eodem modo uſurpari poſſe, etiamſi Galenus & medici Græci hanc uim ipſi nõ tribuant Lemniæ terræ, quam ſigillatã & ſigillum uocant. Et incertũ eſt, an eadem hodie ſit terra ſigillata appellata, cum Lemnia illa quæ Dianæ ſigillum præferebat: quum hodie neſcio quorũ regum ſigilla imprimantur. Sed à dubijs abſtinere præſtat, & his uti quæ nota ſunt, & facile haberi poſſunt. Qualis eſt quinquefolij, uulgo tormentilla appellata, cuius experientiã multi iactant, drachmam dimidiã ipſius in puluillũ redactæ, ex uino diluto ſumendã affirmantes. Sed et dictamni radix in puluerẽ cõminuta multum de ſe experimentũ exhibuit, cuius ſcrupulum unũ cũ poſca, id eſt aceto & aqua, bibendũ præbẽt. Betonicæ quoq; herbæ radicẽ exhibẽt eodẽ modo. Hanc aũt officinæ uulgo corrupta uoce tunicum appellant. Idem aſſeuerãt de pimpinellæ radice uulgo notiſſima, ſed de qua dubitatur, an ſit anchuſæ ſpecies, aut elatines, aut ipſum petro

ſelinum

selinum Macedonicum appellatum. At uerò oxalidis herbæ, quam & acetosam uocant, pugillum unum quotidie ante prandium, & ante cœnam quidam sumunt, aut eandem in puluillum tritam, & experientia ac euentu testantur, se ex eius usu illæsos permansisse. Scabiosæ quoq; notæ hodie herbæ, sed de qua non satis constat, an stœbe, aut phleos, aut cirsion ueterũ sit, succum non solum præbibendum in peste exhibẽt, sed etiam correptis ab illa eundem, aut etiam aquam ipsius sublimatam ut uocant, propinant, ac pollicentur certum inde auxilium, si non malum duodecim horas sit transgressum. Iam uerò ut neq; uulgatißima omittamus, quidam etiam quotidie antea quàm de domo exeunt, cepas & allia cum butyro edunt, ut non temerè à Galeno dictum sit, allium esse theriacam hominum agrestium. Porrò quidam in his simplicibus solis per se singulatim sumendis parum fiduciæ ponentes, duo ex his aut tria, aut plura, aut omnia simul in puluillum comminuta eodem modo usurpant, uelut si uno solo uterentur. Adscribã itaq; aliquot puluillorum formas, quas hac ætate in pharmacopolijs præparatas expositas partim usurpari uidi, partim etiam ipse & in Gallijs, & inferiore ac superiore ad Rhenum Germania, ultra item & citra Oceanum magnum Puluilli à peste præseruantes

usurpaui, pro regionum, ætatum, temperamentorum ratione, nunc additis quibusdã, nunc detractis, & pondere quoq; ac exhibitionis modo
1 uariato. Primus itaq; recipit, Radicis dictamni, tormentillæ, boli Armeniacæ præparatæ, terræ sigillatæ, singulorũ drachmas sex, gentianæ unciæ dimidium, corallorum rubrorum, beeni utriusq;, singulorum drachmas tres, oßis de corde cerui, limaturæ eboris, singulorum drachmã unam, caphuræ scrupulos duos, margaritarum scrupulos duos, fragmentorum quinq; generum lapidum preciosorum, singulorum scrupulum unum. Comminuantur omnia in tenuißimũ pul
2 uillum. Alter recipit boli Armeniacæ præparatæ unciam unam, radicis tormentillæ, betonicæ officinis tunici appellatæ, dictamni, sandali rubri, singulorum drachmam unam, rasuræ eboris, corticum citrij, margaritarum splendidarũ, singulorum scrupulos duos, fragmentorum rubini, saphiri, granati, hyacinthi, smaragdi, singulorum scrupulum unum. Fiat puluillus. Ter
3 tius recipit boli Armeniacæ præparatæ uncias duas, cinamomi optimi unciæ dimidium, radicis dictamni, tormentillæ, betonicæ, sandali rubri, singulorũ drachmas duas, rasuræ eboris drachmam unam: corticum citrij, margaritarum purißimarum, singulorũ drachmæ dimidium, frag

mentorum

mentorum quinq; generum lapidum precioſorum, ſingulorum ſcrupulum unum: ſuccini ſcrupuli dimidium: oßis de corde cerui drachmam dimidiam, ramentorum unicornu ſcrupuli dimidium: foliorum auri & argenti, ſingulorum numero tria. fiat puluis. Quartus recipit radicis 4
tormentillæ, dictamni, betonicæ, coriandri præparati, ſingulorum unciam dimidiam: boli Armeniacæ uncias duas: cinnamomi unciā unam: terræ ſigillatæ, coralli rubri, beeni utriuſq;, ſandali rubri, corticum citrij, ſingulorū drachmas duas: ſuccini, limaturæ eboris, croci, maceris, ſingulorum drachmam unam: ſeminis oxalidis, intubi, portulacæ, ſingulorum ſcrupulos duos, ſerici crudi & uſti, utriuſq; drachmæ dimidiū, margaritarum, ligni aloes, oßis de corde cerui, ſingulorum ſcrupulum unū: raſuræ unicornu ſcrupulum unum: ambræ grana ſex, moſchi grana tria: aut æſtate horū loco, grana caphuræ tria. Fiat puluillus. Quintus recipit zedoariæ, ci- 5
namomi electi, ſingulorum drachmas duas, boli Armeniacæ unciam unam, ſeminis oxalidis, ſeminis citri, corticum citrij, ſingulorum drachmas duas: radicis dictamni, tormētillæ, betonicæ, ſingulorū drachmā unā, raſuræ eboris, oßis de corde cerui, coralli rubri: ſing. drachmæ dimidium: fragmētorū ſmaragdi, granati, rubini, hyacin-

thi, sing. scrup. unũ. Fiat puluis. Verùm sufficiũt hæ formæ ac descriptiones, quæ tamẽ prout dixi, etiam mutari ac uariari possunt. Horũ autẽ puluillorũ usus esse potest quotidie mane cũ uino diluto cum aqua rosacea aut oxalidis. Potest dari scrupulus unus pro una uice, aut etiam amplius pondus, si zaccharum addatur, quod sanè ad põdus aliarũ rerũ, quæ in singulos recipiuntur, ita ut æqualis sit & zacchari & specierum modus, addi potest. Sed finẽ priori libro imponã, ubi adhuc unã pastillorũ descriptionẽ asscripsero, quorũ usus esse potest semper, ubi quis in publico, et maximè in turba uersatur, ita ut quis ore detineat, ac eliquatos deglutiat. Recipiunt autem gentianæ, zedoariæ, dictamni, tormentillæ, pimpinellæ, scabiosæ, sing. sesquidrachmam: specierum electuarij de gẽmis, diamargariton, diamoschi dulcis, sing. drach. unam: seminis rutæ, oxalidis, citrij, sing. scrupulos duos: myrrhæ drach. duas: terræ sigillatæ drach. tres: corticis citrij drach. duas: galliæ moschatæ, aliptæ moschatæ, singul. unciæ dimidium: unicornu electi drach. duas: theriaces optimæ drach. quinq;: mithridatici optimi unc. unã: zacchari quantum satis est ad hæc edulcanda, & cum mucilagine tragacanthæ incorporẽtur, & fiant pastilli instar bechicorũ, inuoluantur specieb. liberãtis.

Puluillorũ usus

Iani

IANI CORNARII MEDICI physici, de Peste Liber posterior.



VPERIORE libro clarissime Mordisi, in pestis tractatione eo usque progressus sum, ut sperem fore ab illa tutißimum, qui se per omnia sic gerat, in rerum non naturalium obseruatione ac præseruatione, quemadmodum præscripsimus: quum ferè ex eorum numero quæ fieri non possunt, uideri debeat, ut quis pestem incurrat, qui Dei optimi maximi auxilio, & eiusmodi præsidio sit munitus, etiamsi in aere quantumuis pestilenti uersetur. Quandoquidem uerò pauci sunt, qui ita sanitatis suæ studio tenentur, ut satis caueãt, quo penitus illæsi permaneant, & alioqui nihil est ab omni parte beatum, uelut ille dixit, quum multæ occasiones offerri poßint, quæ nos periculo obijciãt, dũ aut circa parentes, aut liberos, aut cognatos, aut amicos malè habentes uersamur: aut etiã officij gratia quasdã occasiones uitare nõ possumus: posteriore hoc libro de pestis curatiõe, siquis ab ea correptus sit agemus, quicquid ad hãc pertinet diligẽtißimè & q̃ breuißimè commonstraturi. Et primùm de signis.

Præsidium firmißimũ

Signa à peste correpti.
Caput I.

SI in pestilenti aliâs constitutione aliquis de repente, ex nulla euidenti occasione tristetur, & uelut in angustijs constitutus, de cordis afflictione cõqueratur, ita ut se uelut uiribus deficere sentiat, etiamsi nulla uel exigua aut in facie, aut in urina alteratio, neq; aliquis compareat abscessus: pulsus tamẽ sit uelox et densus: is acutißima febre pestilẽti correptus esse iudicandus est, ut in quo ambiẽtis aeris pestilẽs infectio per inspirationẽ hausta: iam per arterias ad cor distributa sit, ut uix in alterũ aut tertiũ ad summum diem uita ei speranda supersit, si non auxilijs exhibitis ei succurratur. Deinde si laßitudo spontanea sentiatur, cum capitis maximè grauitate, accedatq; nausea & uomitus, & hinc somnolentia, ac aliquo modo mentis emotio, talem qui ita se habet, peste affectũ esse, minimè dubitãdũ est. Quòd si aut pustulæ, aut rubores, aut abscessus affuerint, aut circa locos in quibus illi erũpere solẽt, iuxta aures uidelicet, aut sub alis, aut ad inguina grauitas aut dolor percipiatur, iam nihil amplius est ambiguitatis. Si itẽ corpus foris nullam de se caloris significationem exhibet, & tamen affectus de magno circa internas partes conqueritur ardore, etiam hoc signum

gnum est inspirati aeris infecti, iam ad cor & pulmonem delati. Talis fuit pestis à Thucydide descripta, cuius superiore libro mentionē feci. Est etiam in omnibus correptis pulsus ut plurimum debilis, uelox ac densus. Vrinæ nihil certi indicant, sed modò albæ, tenues & claræ apparent: modò flauæ, & rursus conturbatæ ac crassæ: ut neq; præsentis mali indiciū, neq; salutis aut mortis certa prænotio inde sumi poßit. Huc etiam referri possunt ea symptomata quæ superioris libri capite quarto ex Aetio & Paulo produxi. Nec omnibus his signis inhiare oportet, sed quædam ex his obseruasse satis est, quum & præsens aeris constitutio non exiguam mali significationem exhibeat. Quum autem ex humorum putrefactione febres pestilentes oriantur, diligens & peritus medicus de humore facile iudicare poterit ex ægroti temperamento, & ætate, regione etiam ac anni tēpore, & nō minimè quoq; ex prægreßi uictus ratione.

Curationis pestis modi. Caput II.

His ita iam se habētibus, ad curationē celerrimè festinandum est, quum morbi malignitas nullas det inducias, & frustra auxilia omnia adhibeātur, si malū diem naturalem fuerit trāsgressum, id quod magna multorū ex-

perientia pro compertißimo habetur, nisi fortaßis in quibusdã purioribus aliquãto corporibus tam leuis sit facta impreßio, aut tam fortis sit uirium facultas, ut etiã post illud tempus quidã sanatos se esse putauerint. Iam sicut in præseruatione studium nobis erat corporum resiccatio, ita etiam in curatione statim omni modo humida corpora siccare conabimur, & superfluos humores partim uenæ sectione, partim purgationibus euacuabimus, meatus quoq; obturatos reserabimus ac extergemus. Primũ itaq; omniũ ut mali aliquis sensus, aut suspicio nõ adeò cõtemnẽda adest, uena secãda est, si ætas nõ prohibeat, uel eorũ qui decimũquartũ annũ nondũ excesserũt, uel eorũ qui sexagesimum trãsgreßi sunt: qui etiã alioqui uehementi peste nõ tentatur. Senes enim, inquit Plinius, minimè sentiũt pestilentiã. Viriũ ratio etiãsi nusquã negligẽda sit, tamẽ hic minus habenda est, quòd quũ præceps sit malum, præstat anceps experiri auxiliũ, quàm certũ incurrere periculũ: & uenæ sectionẽ ultra septimã, aut octauã ad summũ horam dilatã, inefficacẽ de cætero esse, & ratiõi consentaneũ est, et experiẽtia cognitũ, ueneno iam ita circa cor hærẽte ac firmato, ut reuelli nõ poßit. Secãda autẽ est uena dolẽti aut grauitatẽ percipiẽti loco proxima, iuxta Hippocratẽ, qui in doloribus proximum

Li. 6. ca. 50

Li. vi. morbo. pop. sectio. 5.

mũ uentrẽ purgare, & sanguinis uentrẽ secare iubet. Quũ autẽ tres principes partes pestilẽtis ueneni uis impetere cognoscatur, cerebrũ, cor et hepar, etiãsi quũ duas illas tẽtet, cor tamen semper maximè simul affligat: & tres illæ partes ad suos locos à se depellere illud soleant, cerebrum nimirũ ad locũ circa aures & collũ: cor ad brachia & sub alas: hepar ad inguina & crura, aliquãdo etiã ad ipsos usq; malleolos: pro horũ omniũ ratione uenæ incidẽdæ ueniũt, aut humeraria in cubiti flexura superna, eius lateris in quo apparet abscessus à cerebro depulsus: aut basilica siue regia in cubiti flexura interna, eius lateris in quod cor abscessum à se depulit: (poßit tamẽ media eius loco secari, si fortè illã reperire nõ detur) aut uena circa malleolos, in eo latere, in quo abscessus ab hepate depulsus cõsistit, aut grauitas aut dolor adest. Modus autẽ emittẽdi sanguinis ex Hippocratis præscripto haberi potest, 1. Aphor.
qui ait: Quæ prodeunt, nõ multitudine æstimare oportet: sed quandiu prodeãt qualia oportet, 23.
" et facile æger ferat. Et ubi opus est, usq; ad animi deliquium ducere oportet, & hoc facere, si sufficiat æger. Quare etiam sanguinis detractionẽ repetere præstiterit, quàm semel auferre, quod eadem die quinq; aut sex horis interpositis fieri potest. Porrò si quid uenæ sectionẽ prohibeat,

cucur

cucurbitulas affigere expedit, cum ſcarificatione ſatis profunda, aut ad collum & ſcapulas, aut ad lũbos et ad nates, aut ad genua, uel infra ipſa. Nam & hæ uenarũ ſectarum uicem aliquatenus ſubire poſſunt. Poſt uenæ ſectionẽ, iam exhibenda ſunt ea medicamẽta quæ à peſte præſeruãtia, partim ſimplicia, partim cõpoſita, ſuperioris libri capite decimoquinto adſcripſi. Nam & theriaca dari poteſt, & bolus Armeniaca, aut aliquis ex deſcriptis iſthic puluillis: uerùm alia ratione, modoq; & pondere ampliore, quũ etiam ut correptos à peſte liberent, non ut ſanos præſeruent, nũc in uſum aſſumãtur. Sumatur itaque theriacæ ueræ ac bonæ, decẽ annorũ ætatis, drachma una plus minus, pro ætatũ, temperaturarum ac anni temporũ ratione: cũ aquæ roſaceæ & oxalidis ac ſcabioſæ ſingularũ uncia una, affuſo modico acerrimo aceto. Aut exhibeatur eclegmatis de ouo drachma una plus minus, iuxta relatos paulò antea reſpectus, cum aquæ intybi, oxalidis & ſcabioſæ ſingulis uncijs. Aut detur boli Armeniacæ præparatæ drach. una plus minus, uelut diximus, cũ uini albi odorati uncia una, & aquæ roſaceæ ſextãte. Aut detur aliquis ex puluillis citato loco deſcriptis, drach. unius plus minus põdere, cũ aquæ oxalidis & ſcabioſæ ac roſaceæ ſingulis uncijs, addito modico aceto

biben

bibēdus. Hæc medicamēta ad meatus aperiēdos, & sudorē excludendū bibūtur. Quapropter ab ipsorū potu æger decūbat, & contegatur ut sudare poßit: nec dormiat, sed ad uigilandū omni modo cogatur, quo minimū quatuor horis uigil ab hausto medicamēto sudet: & si uires tolerare possunt, aliquāto diutius. Quòd si sudor nō citò proueniat, lateres calefacti in quantū æger ferre posse uisus fuerit, pedibus apponātur, quibus linteolis aqua madefactis inuolutis pedes admoueat. Potest etiā chamæmeli aut origani decoctum calidū quantū tolerare potest, nō solū pedibus, sed etiam ad latera ac inguina adhiberi, uase uitreo aut fictili ad hunc usum cōmodo exceptum. Interim uerò ad uires reficiendas syrupus de acetositate citrij appellatus, dari potest: aut ipsum citriū siue medicū malū zaccharo, prout fieri solet, conditū: aut rosarū, aut uiolarū, aut boraginis, aut buglossæ flores zaccharo conditæ. Item ea cōfectio quā manū Christi appellant, cū margaritis præparata, & cōsimiles multæ hodie in omnibus pharmacopolijs uenū propositæ. Forinsecus quoq; epithemata cordis regioni adhibēda sunt, ex aquis buglossæ, boraginis, rosarū, oxalidis, intybi & nymphææ, ita ut tincta in his linteola adhuc madētia imponātur. Potest & pānniculus de scarlaco appellato pāno in illis madefieri, ac

ri, ac

ri,ac imponi. Nã & huic quidã experimẽto fa-
cto ſplendidũ hac parte teſtimoniũ præbent. Aut
cõponitur tale quoddã epithema, quod recipi-
at, aquæ roſaceæ trientẽ, aquæ uiolarũ, oxalidæ,
bugloſſæ, ſingularũ ſextantẽ: ſandalorũ omniũ,
roſarum rubrarũ, coralli utriuſq;, corticũ citri,
ſingulorũ drachmã dimidiam: oßis de corde cer
ui, ligni aloes, croci, ſingulorũ ſcrupulũ unũ: ca
phuræ ſcrupuli dimidiũ, aceti roſacei unciæ dimi
diũ. miſceantur omnia probè, linteolis tinctis ad
bibenda. Aut hoc quod recipit aquæ roſaceæ li-
bram unam, ſandalorũ omniũ drachmã unam,
camphoræ drachmæ dimidium mixta, ut dictum
eſt, in uſum aſſumantur, & adhibeãtur nõ ita ut
actu ſint hæc epithemata frigida, ſed ante adhi-
bitionẽ panniculi aut ſindones ſiue linteola in il
lis tincta, calida manu aliquãtulum expriman-
tur, & ſic adhibeãtur: & poſtquã reſiccata fue-
rint, rurſus tingãtur. Hæc epithemata, & illa
quæ uiribus reficiendis intra corpus ſumenda
dixi, tum aliàs in uſum aſſumi poſſunt, tum hoc
maximè tẽpore, quo æger contectus decũbit, &
ab accepto medicamẽto liberãte exudat. Quod
ſi cõtingat, uelut cõtingere aliquibus ſolet, ut me
dicamentũ hoc æger retinere nõ poßit, ſed uomi
tu reijciat, ſine mora abluto prius ore, aliud atq;
aliud, & maximè idem quod prius exhibẽdum
eſt,

est, toties quoties prius acceptũ uomitu reiecerit. Profectò qui primã potionẽ retinẽt, in maxima spe cõsistunt fore ut excluso malo liberẽtur. & ferè nunquã compertũ est perijsse, qui illam retinuisset, & in cæteris nõ neglectus fuisset. At contrà qui aut primã reuomũt, aut posteriores non probè, aut non in totũ retinent, mali potentioris medicamẽto indiciũ præbent, ut quod ad cor delatum, id iam penitus occuparit, ut resistere nullo modo poßit. Atq; hæc ferè prima die faciẽda sunt. Nam à uenæ sectione, & medicamento liberante ac sudorifico, statim cibus offerendus est, de quo deinceps agemus.

Cibi ac somni in peste correptis ratio. Cap. III.

Cibos esse ægrotis exhibendos quotiesçũq; expetiuerint, atq; inuitis etiã ac nolẽtib. offerẽdos, ut ad capiendũ illos aliquo modo cogãtur, rationi consentaneũ esse, uidetur his qui uirium maximã curam habẽt, quæ in pestilẽti morbo subitò resoluentur, ut magnitudini morbi resistere non poßint, si non statim etiam reficiantur, & spiritus infecti uelut renouẽtur. Spiritus autẽ cum omnibus quæ eduntur ac bibuntur, in corpus ingredi, Hippocrates dicit, uelut in superioribus dictũ est. Nec audiendi sunt hic diatritarij appellati, qui in tertium usq; diem,

ine-

mediam in morbis acutis omnibus præcipiunt, Hippocraticum fortaßis etiam ipsi præscriptum sequi se putantes, dum, Ad extremos morbos, exactè extremæ curationes optimæ sunt, dicit. & addit: Vbi igitur peracutus est morbus, statim etiam extremos labores habet, & extremè tenuissimo uictu uti necesse est. Nam hoc quidem negligendum non est: sed tamen etiam illud quod mox isthic subiungit, simul diligenter expedendum. Simul autem coniectare oportet, inquit, an æger ex uictu durare poßit ad morbi uigorem, & utrum ille prius deficiet, & ex uictu durare non poßit: aut morbus prius deficiet, ac obtundetur. Ex peste igitur laborantes sæpe & modico cibo reficiemus, tribus aut quatuor ad summum horis interpositis. Cibi autẽ sint sorbiles, concoctu faciles, ex ptisana, aut ex aueua eodem modo uelut ptisana parata, aut etiã ex tritico et zea similiter parata, quæ propriè alica dicitur. Hæc coqui poßũt simpliciter ex aqua addito butyro, aut oleo: aut etiã cũ lacte ex amygdalis dulcib. extracto: aut cũ iusculis gallinarũ, aut pullorũ illarũ. Hæc autẽ iuscula præstãtiora euadũt, si coctis illorũ carnibus, donec ab oßib. separentur, ita expreßio ipsorũ fiat. Potest etiã aliquid in hæc addi de succo oxiacantæ, mali punici, aut matiani, uulgò corruptè pomi arãtij appellati,

1. Aphor. 6.7.8.9.

aut

aut mali citrij, aut oxalidis, aut etiam modicum aceti. Conueniunt item pulticulæ ex farinis ordei, auenæ, tritici, et ex amylo paratæ, cum ijsdem iusculis. Nec improbanda sunt oua gallinacea mollia, tremula, sorbilia. In reliquis superiore libro traditam uictus rationem consulere ac sequi potes, iuxta iam relatorum respectū, et prout de die in diem æger amplius conualescens melius habuerit, & ampliorem uictum requisierit. In potu aqua ordei cocti, donec ruptum hiarit, competit. atq; hic quidem modus eius parandæ, simplicißimus est. Nec uerò quicquam uetat in cocturam addere uuas passas uinaceis exemptis, aut etiam glycyrrhizæ radicē: & ab his omnibus unà cum ordeo, aquā ipsam postea excolare. Quidam in ipso aurum igne candefactum extinguunt, id quod nunc in medio relinquo, atque ita frigefactam postea bibendam exhibent. Nec est hæc ordei aqua, ptisana Hippocrati appellata. Sed illa de qua paulò antea dixi, uera ptisana est, de qua per longum in Commentarijs medicis docui. Hanc autem ordei aquam idem Hippocrates in libro de ratione uictus in morbis acutis, modò simpliciter τὸ κρίθινον, modò κρίθινον ὕδωρ appellat. ἣν δὲ διψώδεες ἐῶσι σφό-

δρα inquit, πίνειν διδόναι τὸ κριθίνου ὕδατος. hoc est, Si uerò ualde ſiticuloſi fuerint, danda eſt in potu ordei aqua. Quo loco Galenus potum quidem hunc ſitum eximere, manifeſtũ eſſe dicit. Sed præſtiterat, inquit, ab ipſo dictũ eſſe, quomodo parare ordeum oporteat, num ſimpliciter madefacere, aut uelut hi qui nunc zythum ex ipſo faciunt, aut alio quodam modo. Quopropter nec cereuiſia omnino improbanda uidetur, ex ipſa adeò Galeni ſententia, aut potius ſuſpicione, ſi quis ordei aquam uelut dixi, paratam reſpuat, & maximè ſi alioqui ſit tempore ſanitatis cereuiſiæ potui adſuetus. Sed nec uinum penitus prohibendũ eſt, bibere id antea conſuetis, ſed album hoc ſit et tenue, aut etiam ſi æger fert, dilutius aliquanto. Porrò quod ad ſomnum attinet, altera die non ſolum permittẽdus eſt, ſed etiam iuuandus ac procurandus. Quum enim prima die uigilias neceſſariò tolerarit, et uenæ ſectionis, & exudationis ab accepto medicamento liberante gratia, ne inde ſpiritus nimium exoluantur, ac uires penitus concidant, ſomnus admittẽdus eſt, & ad uires reficiendas, & ad ſpiritus recolligendos. Et tamen rurſus abſceſſuum magna ratio habẽda eſt, ut ne ſi foris ap

Somnus in peſte.

paruerint

paruerint, per somnum intrò reuocentur, iuxta eorũ quæ superiore libro de Somni & uigiliarum uiribus ac effectibus scripsi rationẽ. Quapropter tutius est ut apertis iam tumoribus somnus & quies concedatur. Sed de hac re rursus dicendum est. Hæc de cibo et somno, supra ea quæ prius relata sunt, necessariò adscribenda duxi. Cæterarum uerò rerum non naturalium usus, uelut in præseruatione præscriptus est, etiam huc ad curationem transferri potest. Iam autem ad ea quæ altera die facienda sunt, transeamus.

De purgatione peste correptorum. Cap. IIII.

Altera die quidam mox ad putrefacti humoris expurgationem festinãt, aut singulos, aut mixtos illos purgãtes, prout aut simplicem aliquem, aut duos, aut omnes simul putrefactos esse, ex certis signis, de quibus in superioribus mentionẽ feci, cognouerint ac iudicarint. Sed profectò etiam hic magna cura & diligenti animaduersione opus est, ut ne pridie & morbi ui, & uenæ sectione, & sudoris exclusione, uiribus attritis, postridie unà cum humoribus ipsa etiam uita expurgetur.

Infusa per clysterem.

Quapropter cautius faciunt qui infuso aliquo per clysterem utuntur, præsertim si aluus sit adstricta: quale est hoc quod recipit, maluæ, bliti, mercurialis, singulorum manipulum uuum, florum uiolarum manipulum dimidiũ, fiat decoctio de qua Recipe libram unam plus minus, & dissolue in ipsa, caßiæ bonæ ac recẽtis, diaprunis confectionis simplicis, zucchari albi, singulorum unciam dimidiam, olei uiolarum quadrantem, salis drachmas duas, fiat enema. Aut hoc quod recipit florum uiolarũ, nymphææ, singulorum manipulum dimidiũ, herbarum maluæ, mercurialis, lactucæ, singularum manipulũ unum, fiat decoctio, in cuius uncijs sedecim dissoluatur caßiæ, hieræ picræ zacchari albi, singulorum unciæ dimidium, olei uiolarum quadrans, salis parum, fiat infusum. Ab hoc infuso iam bibendum dare potes syrupum de cichorio aut intybo, ut hinc præparati aliquo modo ad eductionem humores eo facilius euacuẽtur. Nam siue altera siue tertia die purgare uolueris, magna rursus tibi abscessuum ratio habenda est, ne quos natura ui sua foras expulit, tu impedito eius impetu intrò reuoces, dum putridos humores per aluũ euacuare studes. Expurgandorum itaq; humorum

Cichorij syrupus.

rum gratia confectionis diaprunis uulgò officinis appellatæ, unciam unam dare potes: aut eclegmatis de succo rosarum semiunciam: aut confectionis diacatholicon dictæ, drachmas plus minus quinq;: aut cōfectionis hamech dictæ semunciam. Hæc singula in bolum spissum cum zaccharo redditum cogi possunt, ac sic deuoranda exhiberi. Aut recipe confectionis hamech, eclegmatis de succo rosarum, singulorum drachmas duas, & cum zaccharo albo fiat bolus spissus. Potes etiam pilulas de hiera simplici Galeni, aut cochias appellatas dare, drachmæ unius pondere, utras ex istis duobus generibus malueris. Aut recipe massæ pilularum de rha barbaro, Indarum, singularū drachmæ dimidium, fiant pilulæ numero quindecim, aut prout libuerit: neque enim quicquam refert, modò humoribus educendis commodū des medicamentum, quod etiam suauiter citra magnam turbationem, id quod debet, faciat. Post purgationem proximum est ut quomodo tumor aut abscessus tractandus sit, uideamus. Verum prius ordinis rationem in relatis tribus auxilijs adhibendis, considerabimus: quū aliqui primum, mox ubi quis aliquam de peste suspicionem habet, medicamenta illa per sudo

Ordinis ratio in auxilijs in peste.

rem liberantia dare malint, & deinde uenam secare, atq; sic ad purgationem progredi: aliqui uerò statim ab infuso curationem auspicẽtur, deinde uenam secent, & postera die purgationem faciant, & tertia tandem die ad medicamenta sudorem excludentia deueniant. Atque hi quidem in eo quod infusum uenæ sectioni præmittunt, superfluitatum cõmunium educendarum gratia: ne quid de his intra uenas à facta sectione trahatur, nihil delinquunt, si statim ab infuso ad uenæ sectionem progrediuntur, et alioqui tantum moræ morbus indulget. Sicut neq; in purgandis humoribus altera die peccant, si morbus urget, & uires sinunt. Verum quod tertia demum die ad medicamenta sudorifica deueniunt, ab omni ratione alienũ esse uidetur, quum experiẽtia compertum sit, pleraq; ex illis frustra absumi, si pestis detinuerit ultra octo aut decem ad summum horas, nisi leuioris mali, aut robustiorum uirium beneficio, etiam serius accepta efficacia quis sentiat. Quapropter priores illi melius faciunt quòd talia medicamenta etiam ante uenæ sectionem exhibent, mox ab initio sensus aut suspicionis mali, ad illa festinantes. Sed tamẽ omnino consultius esset uenæ sectionem præmit-
tere

tere, et deinde illa exhibere, ut quæ ab hac uniuersaliore facta euacuatione, melius distribui poßint, & uim suam efficacius declarare, eo sanguinis euacuati, uelut onere deposito. Quòd si tamen sit quod uenam secare prohibeat, aut ætas, uelut dixi, aut ægri eam non admittentis metus, aut eius qui secet inopia, aut quiduis tandem aliud, tunc iam medicamentum liberans per sudorem mox dari nihil uetat. Imò res ipsa cogit, ut uel cum periculo aliquid agamus, quum præsens periculum certum & ineuitabile facile nos inducat, ad periculi incerti, & aliquam adhuc spem secum afferentis experimētum. Sed iam ad abscessuum tractationem progrediamur.

Tumoris aut abscessus quæ sit cura habenda. Cap. V.

STatim ut tumor aut abscessus aliquis apparet, & uenæ sectio eo modo ac loco, uelut diximus, facta est, & medicamentum aliquod liberans per sudorem exhibitum, imponendum est aliquid extrinsecus super ipsum, quod materiæ uenenosæ de principe aliqua parte depulsæ ampliorem attractionem

faciat. Neque enim hic, uelut in alijs abscessibus ac inflãmatis tumoribus fieri solet, repellentia adhibenda sunt, sed naturæ impetus adiuuandus, per ea quæ attrahendi uim habent, quàm citißimè admota ac imposita.

Attrahentiũ usus.

Nam hic uelut in parotidibus, ex profundo ad cutem humores noxios ac uenenosos attrahere conamur, non repellere. Quapropter aliqui hic non solum attractoria medicamenta adhibent, sed etiam cucurbitam aut hirudines apponunt, atque hoc tunc maximè quum purgans medicamentum exhibent, ne hoc ipsum naturæ impetum foras tendentem intrò ad se reuocet. Quanquam hoc ualde magna cautione tentare oporteat, præsertim si scarificatio simul fiat, uelut fieri non alienum est, ne uidelicet hinc uehemens dolor hominem corripiat, ad quem uigiliæ consequantur, & febris augeatur, ac uires exoluantur. Attractiones itaque faciendæ gratia raphanus in laminas sectus imponi potest, et sæpe permutatis laminis renouari. Potest & cepa excauari una aut plures, prout aut magnæ sunt, aut multis opus est. De his superna pars desecatur, et facta internæ partis excauatione theriaca bona immittitur, & de-

secta

secta illa pars rursus superponitur. et sic, prunis cum calido cinere obrutæ assantur, assatæ eximuntur, tunduntur, & emplastri forma tumori imponuntur. Hoc emplastrũ multam de se experientiam præbuit, & uulgaris ubique usus est, nec ratione caret, quum & cepa & theriaca, ueneni attrahendi uim habeat: & hæc insuper attractum inefficax reddat ac consumat. Sunt etiam qui emplastrum diachylon appellatũ, corrupto in diaquilon officinis nomine, sextantis pondere cum galbani & ammoniaci thymiamatis singulorum semuncia committunt, & emplastri modo inducunt. Potest & emplastrum hoc modo parari, ut recipiat ceparum sextantem, scillæ sesquiunciam, hyssopi, calaminthæ, origani siccorum, singulorum manipulum unum. Hæc in aqua lixiuij ebulliant, donec flaccescant ut contundi poßint, & his addatur galbani, sagapeni, ammoniaci, thymiamatis, singulorum uncia una, resinæ pinus, uisci quercini, mellis, singulorum quantum satis est, ut ex omnibus emplastrũ fiat. Nec uerò diutius hic immorandum est, neque donec abscessus maturescat expectandum, sed quàm primum aperiẽdus hic est ad-

huc crudus ac immaturus, atq; hoc ſcalpello facere & promptiſsimũ, & tutiſsimũ eſt, ita ut καθ' ὑπόῤῥυσιν hoc fiat, uelut Hippocrates ait, hoc eſt ad decliuem partem quo ſaniei ac puri defluxio promptior contingat. Poteſt tamen et cautere fieri ferri igniti, ſi ægri metus admittat, & corpora alioqui non ſint tenera ac mollia natura, nec etiam morbo amplius debilitata. Et cauterij uis eſt ea, ut non ſolum abſceſſum cruſta inducta aperiat, ſed etiam multum de uenenoſa materia attrahat ac conſumat. Quapropter in his qui ignis actu uſtionem formidant, quidam cauteria potẽtia urendi uim habentia adhibent, qualia ex calcis uiuæ dupla aut etiam tripla, cineris & aluminis liquidi, ſingulorum ſimpla portione fiunt, ſi ex his lixiuium paretur, atq; hoc conſumi permittatur in uitreo aut æneo uaſe repoſitum, donec id quod in fundo reſidet, lapideſcat, quod ſanè ad futurum uſum reſeruandum eſt in uaſe probè obturato ne aerem admittat: nam inde rurſus in aquam reſoluitur. De hoc cauterio fabæ non magnæ magnitudo ad tumorẽ adponatur. Loci autem uicini unguento albo Galeni, aut cãdido oui cum oleo roſaceo conquaſſato, ac linteolo inducto, aut

alio

alio quopiam inflammationem arcente muniantur. Nec diutius sinendum est hoc cauterium, sed statim ubi crustã induxit, tollendũ. At dolori ex sectione aut ustione inducto mitigando, mox adhibendæ sunt spongiæ maluæ aut chamæmeli decocto imbutæ, ac mox indenda linamenta candido oui tincta, & sinendus æger ut quiescat per totum diem naturalem, nisi doloris uehementia ad deligaturam soluendam te urgeat: Quòd si omnino faciendum est, linamenta noua inserenda sunt, oleo rosaceo aut adipe gallinaceo, ad oui candidum addito, quibus linamenta tingantur. Quòd si maturatione abscessus opus fuerit, emplastrum hoc simplicißimum imponi potest, nimirum ut triticea farina cum aqua & oleo donec in emplastri formam densetur cocta, imponatur. Aut recipe corticũ radicis althææ, radicis liliorũ alborũ, foliorũ maluæ, singulorũ manipulũ unũ. Hæc in aqua cocta iam eximũtur ac cõtundũtur, deinde additur farinæ fœnigræci, farinæ seminis lini, singulorum sextans, & cum axungiæ et adipis gallinacei singulorum quadrante, omnia simul committuntur ac uniuntur ad emplastri usum. A maturato iam abscessu proximum

mum est ut purgetur ac mundetur, id quod cum farina ordei ammixto oui luteo, & melle rosaceo facere ualde procliue est. Iisdem uerò etiam crusta remouetur, si butyrũ probe lotum pro melle addas. Aut recipiatur farinæ ordei, mellis, singulorum uncia una, succi apij quadrans, coquantur ad spißitudinem, & linamentis illita indantur. Proximus deinceps ab his usus est eorum quæ incarnant replentq; ulcus ac cicatricem inducunt. Sed & hæc, & paulò antea relata omnia, tam nota sunt ubique uulgò etiam chirurgorum, non solum ex medicorum Græcorum, Galeni, Pauli, Aetij, & aliorum libris, ut neque de his opus sit me hic longiorem esse, neque circa illa afferenda me occupari oportuisset, si non libuisset hoc tractandi modò indicare uiam, his qui fortaßis ipsi uel in seipsis, uel in amicißimis sibi, horum usus rationem expetent ac sequentur, si medici aut physici dogmatici, simulq; experientia præstantes consiliũ requirere noluerint, aut fortaßis neque libenter ullum chirurgum admiserint: quod tamen neque faciendum est, neq; admodum fieri solet, quum nemo adeò iucundè hanc operam uel sibijpsi, uel suis præstet:

& tot hodie sint in omnibus non solum magnis urbibus, & paruis oppidulis, sed etiam uicis ac uillis chirurgi, quorum omne aut certè potißimum studium est ad eiusmodi tumores & abscessus in peste oborientes curandos: & hi non in peste solum, sed etiam alio quouis tempore plerunque in imperij ciuitatibus, annuis salarijs ad hoc conducti degunt, ut omnis generis externis morbis corporis, & manum & curationem adhibeant, ut hodie nihil notius isti generi sit, quàm ulceris maximè simplicis, & tamen aliorum itidem curatio: id quod si Galeni seculo fuisset, non uidetur tam longam ac operosam ulcerum curandorum tractationem instituturus fuisse: qualem præsertim in tertio, quarto, quinto ac sexto Methodi libro, & in his quos de Compositione medicamentorum secundum genera inscripsit, nobis proposuit: quanquam nullum non seculum semper inter paucos bonos artifices, multos ineptißimos Thessalicos asinos, nec rationis, nec experientiæ ductu utentes protulerit, ut qui uulgatum usum, prout in alijs, & ab alijs fieri uiderunt, aut factum esse putant, ipsi aliorum simiæ sequuntur. Quare ut studiosi literarum

Vlcerum curatio Gal. operose tradita.

rum ac honestarum artium cultores, & de hoc hominum genere, & de ipsorum medicamentorum, quæ ab illis adhibentur, ui ac iusto usu, aliquo modo iudicare poßint, si fortè horum opera utendum sit, hæc longius exequutus sum. Dignißimum enim relatu & memoria omnium studiosorũ hoc est, quod Aristoteles uelut exemplum quoddam de se reliquit. Nam quum ægrotaret, & Medicus accersitus ei multa facienda, uelut ex autoritate quadã præscriberet, neq; de his ullas rationes afferret. Ne, inquit, me tractes uelut bubulcũ aut fossorẽ. sed doce prius qua de causa hæc mihi ita præscribas, & sic sanè obsequentem me habebis, si nihil ex his absq; causa adhibere docueris. Hoc igitur Aristotelis dictum, ab Æliano relatum, studiosi etiam in his quæ hoc capite recensui sequentur, & nõ totos se uulgò chirurgorum permittent, quod aliquando omnium penitus literarum ignarum est, nisi fortaßis uulgari lingua scriptos circumforaneos libellos legere poßit. Nam Medici & doctrina & experientia clari, hodie chirurgiam maxima ex parte auersantur, in tanta nimirum chirurgorum multitudine, ex quibus etiam ipsi præstantißimos

Lib. 9. uariæ historię.

mos

mos quosque deligunt, & unà secum adhibent, si talis sit curatio proposita, quæ manus operam desideret. Et hãc operam etiam Galenum ac ueteres medicos Græcos nõ per se præstitisse, sed aliorum maximè familiarium, & domesticorum asseclarum manibus usos esse, ex multis librorum ipsius locis constat. Apponam tamen aliqua simplicia quæ ulcera carne replent, ex quibus uel omnibus simul commißis ac unitis, aut aliquibus delectis, medicamenta componi possunt. Sunt autem hæc, mastiche, thus, myrrha, aloe, aristolochia rotunda, farina erui, argenti spuma, cerussa, cadmia, pompholyx, panax, iridis, item farina & ordei ac fabarum. Hæc uel magna ex parte, prout conueniunt, omnia, aut de ipsis aliqua, cum seuo hircino, aut caprino, aut arietino: aut cum adipe gallinaceo, aut etiam porcino: & cum cera, quantũ cõprehẽdendis his satis est, in unguenti formã redigũtur. At uerò cicatricẽ inducũt eadem magna ex parte, insuperq́; galla, alumen scissum, chalcitis, æs ustũ, æris squama, misy, & quædam alia. Quidam farinam erui cum melle, insperso thure ad unguẽti formã redigunt. Verum sufficiunt hæc de tumoribus inflam-

matis et de abſceßibus curandis, quos ferè in glandulosis illis partibus, uelut diximus, consistentes βουβῶνας Græci uocant. Quia uerò etiam carbunculos in quibusdam oriri in peste compertum est, & in alijs pustulas, aut rubores per totū corpus, etiam de his deinceps agemus.

De Carbunculis, pustulis, papulis, & ruboribus in peste. Cap. VI.

Lib. 14. Method. Lib. 4. cap. 25

CArbunculos in pestilenti constitutione cum febre oriri ac populariter grassari, sæpe etiam nostris temporibus compertum est, & testatur Galenus ac Paulus, qui humore crasso ac sanguine atrabilario efferuescente, & ad partem aliquem irruente, ipsos oriri tradunt, & esse ulcera crustosa, plerunque à pustula siue bulla ambustis simili initium punientia, aliquādo etiam sine hac. Et exscalpunt sanè affecti omnino in principio ipsam partem. Deinde quandoque una, quandoque plures pustulæ emergunt, milij speciem præferentes sua tenuitate, quibus erumpentibus similiter crustosum fit ulcus, similiter

militer uelut à ferro candente, crusta ipsa modò cinerei coloris, modò nigri apparente: unà cum hoc quod fundo adhæret, & quodammodo affixa est, cum depastione proserpente. Reliqua uerò caro circumsita ualde flammea ac nigra colore fit, & splendicans uelut pix & bitumen. Talis autem est exactè atra bilis. Curationem itaque etiam horum à uenæ sectione ordiri oportet, & sanguinis euacuationem usque ad animi deliquium facere, si sufficiat æger, & nihil aliud prohibeat. Post uenæ sectionem scarificare etiam huiusmodi tumores non alienum est, profundius impactis uulnusculis, ob humoris crassitudinem. Ad ipsum uerò locum affectum moderatè repellentibus ac discutientibus utendum est. Tale autem est cataplasma ex plantagine ac lenticula cocta, micis panis additis, qui nec purus admodum sit, neque rursus ualde sordidus. Super ipsum uerò ulcus ex uehementibus medicamentis aliquid imponendum esse, suadent & Galenus & Paulus, uelut est Andronis, & Polyidæ, & Pasionis pastillus, ita ut diluantur passo ad strigmentitiam compagem. Sed & Massaliotæ puluillus siccus, aut etiam ipse similiter dilutus fi

cit. Horum autem medicamentorũ compositiones, etiamſi hodie exoleuerint, & in uſu non ſint, & ne nominibus quidem cognitæ pharmacopolis, tamen commodè parari poſſunt, prout apud hos autores deſcribuntur, & præſertim Paulum lib. 7. cap. 12. & 13. Galenum lib. 6. τῶν κατὰ γένη. & Aetium lib. 14. cap. 50. Addit Paulus etiam radicem dracunculi, aut ariſtolochiæ, aut ſuccũ ſylphij, aut cyrenaicum, cum aceto illini poſſe. Partes autem circumſitæ inflammatæ, ex oleo roſaceo & bolo armeniaca cum aceto mixtis, ut unguenti ſpiſsitudo fiat, integantur. Aut oleum populeum ipſis illinatur. Quæ uerò de affectione, per conſenſum ſuſpectæ ſunt, lanis ſuccidis uino & oleo imbutis irrigentur. Sedato autem iam ardore ceratum ex nitro, dilutum linamentis exceptum indatur. Eius deſcriptio apud Paulum hæc eſt: Nitri torrefacti quadrantem, ceræ, olei, colophoniæ, ſingulorum ſeſquiunciam, ſucci cyrenaici aut medici drachmas decem. Poteſt & ceratum ſiue emplaſtrum ex herbis, tetrapharmacum item appellatum: ſimiliter adhiberi, præſertim ſi quinta pars thuris, ad quatuor illorum, quæ tetrapharmacum conſtituunt

Tetrapharmaci compoſitio

ſtituunt

stituunt, singulorum æquales partes addatur, ad ceram uidelicet, & colophoniam, & picem, ac seuum taurinum. Tametsi uerò non conueniat hic ea quæ alijs ulceribus adhibita, maturant ac suppurant ipsa, adhibere, ob formidinem ne partis putrefactio augeatur, tamen studium adhibendum est, ut etiam carbunculi quàm citißimè suppurētur, eaq; gratia sæpe medicamenta ac cataplasmata permutare prodest. Quo uerò à coniunctione cum uicinis partibus exoluantur, ac uelut eradicentur carbunculi, mala punica acida concisa coquantur in aceto, & flaccida iam terantur, & linteo infarta imponantur, & ubi resiccata fuerint, aceto humectētur. Suppurat autem & rumpit carbunculos, nucis iuglandis tum ueteris, tum recentis nucleus, cum uua passa & caricis ac polenta, æquis portionibus in uino coctis addito oleo papaueris, ut emplastrum fiat. Aut picem liquidam cum uuis paßis, & adipe suillo imponito. Aut oui luteum cum sale. Aut serapiadem uiridem, quæ etiā triorchis appellatur, cum micis panis contritam, uelut cataplasma imponito. Hoc & ad carbunculos & omnia crustosa facit. Crusta uerò elapsa, uelut com-

mune ulcus curatur. Porrò quum non solum carbunculi in pestilenti constitutione oboriantur, sed etiam papulæ ac pustulæ, etiam ipsarum & natura, & curatio consideranda est. Sunt itaque pustulæ eruptiones quæ fiunt craßis humoribus in cute impactis, & magis adhuc si summa cuticula densa sit, & hæ in pestilentibus febribus etiam ulcerantur, & quædam carbunculis similes sunt, & omnes corruptæ multitudinis, & humoris habitum erodentis signa existunt. Et de his Hippocrates: Carbunculi, inquit, per æstatem multi, et aliæ quæ sæpe uocantur Pustulæ magnæ. Quanquam autem non σὴψ, sed σῆψις hoc loco legat ac exponat Galenus, putredinem, hoc est σηπεδόνα, ob diuturnam uitiatorum humorum in corpore moram, auctam esse accipiens, & papulas siue pustulas, à σήψει separans: tamen uetustißima Hippocratis exemplaria, καὶ ἄλλα, ἃ σὴψ καλεῖται, ἐκθύματα μεγάλα habent: & non uelut Galenus legit, & exponit, καὶ ἄλλα ἃ σῆψις καλέεται, ἐκθύματά τι μεγάλα. ita ut sepas à putrefaciendo ac erodendo appellatus esse ipsas pustulas accipiamus, maximè quum idem Hippocrates etiam rursus dicat, ὀσφῦν ἀλγέοντι ἀναδερομένῳ δὲ τὸ πλεῦρον

Lib. 3 Morb. pop. in pestil. constitut.

πλευρῶν, καὶ ἐκφύματα ἃ σῆψ καλεῖται. Sicut igitur ab erodendo σῆπες, ita ab erumpendo, id est παρὰ τὸ ἐκθύειν, ἐκθύματα, & à pullulando ἐκφύματα, & ab eo quod per cutem uelut effloreſcant, ἐξανθήματα appellantur, quæ nobis puſtulæ & papulæ dictæ eſſe uidentur. Neque iam moramur Arabas, & uulgus medicorum illos ſequens, ſiue uariolas, ſiue rubeolas, ſiue morbillos illas appellent. Nouit autem Hippocrates etiam has puſtulas in febribus continuis, quales etiam ſunt peſtilentes, oriri. Ita enim ait: Quibus in febribus continuis puſtulæ per totum corpus erumpunt, letale, ſi non purulentus abſceſſus fiat, maximè autem circa aurem his fieri ſolet. Quo loco φλυζάκια puſtulas appellat, eoſdem ſcilicet quæ etiam φλυκταῖναι dicuntur, uelut Celſus quoq; meminit: quanquã falſo φυζάκια illic legantur. Idem Hippocrates etiam libro ſeptimo Morborum populariũ, Andreæ cuidam in febre puſtulas erupiſſe dicit. Circa uigeſimam quintam, inquit, puſtulæ per totum corpus pruriginoſæ calidæ, uelut igne ambuſta. Dolor autem erat circa locos ſub alis, et latera, tranſiuit ad crura citra ſigna, & deſiuit. Atq; harum papularum, quas hoc loco

In Coacis prænotion.

ἐξανθήματα appellat, etiam curationẽ subiungit. Balneum inquit, proderat, & unguenti illitio cum aceto. Et hinc sanè apparet pustularum uaria esse genera, & colorem uitiati humoris ipsas referre: & modò exulceratas, modò sine ulcere, pruriginosas tamen esse: & aliquando feruentes cum inflammatione aut dolore consistere: et alias asperiores, alias leues esse: & nunc plures & maiores, ideoq; etiam deteriores esse, nunc pauciores & minores: & iam per totũ corpus apparere, iam circa extremas maximè partes consistere: et deteriores esse quæ citò euanescunt, quàm quæ multo tempore durãt. Malignißimas tamen esse eas quæ in facie consistunt. Sicut contrà benignißimas, quæ circa febrium solutiones, iuxta labia & nares, bonæ iudicationis ratione apparẽt. Et proximè ab his illas, quæ pueros ac infantes, aliquando adhuc lactentes corripiunt: & amborum horum generum neque hic curationem aliquam molimur, sed earum quæ in pestilenti constitutione cum febribus fiunt, pro relatarum omnium ratione consideratio facienda est, & curatio instituenda ac urianda: ad quam antea quàm progrediamur, Hippocratis locum de popularũ

Pustularũ uaria genera.

gene

generibus adscribemus, ex libro de Vsu humidorum siue liquidorum, in Græcis exemplaribus alioqui corruptum, sed sic legendum:

Τὸ ψυχρὸν ὠφελέει τὰ ἐρυθρὰ, οἷα ἄλλῃ καὶ ἄλλῃ ἐκθύει ὑποπλάτη, οἷα διὰ τοὺς σπλῆνας ὁλκηροὺς αὐίσχουσιν. εὐσάρκοισι δὲ καὶ ἁπαλοσάρκοισιν ὑπέρυθρα. μέλασι δὲ καὶ οἷαι στρογγύλαι ἐοῦσαι, δοθιῆνας λέγουσι, καὶ ἐν αὐτῇσι τῇσι θερμολουσίῃσιν ἀνίσταται γενόμενα, καὶ γυναιξὶν ἐκ γυναικείων ἀναδρομῇ ὑπὸ χρῶτα, καὶ ὑπὸ ἐρεθισμοῦ δέρματος, ἢ ἱματίων τραχέων ἀήθει φορήσει, καὶ ἐξ ὑδρώτων ἐξόδου, ἢ ἐκ ψύχεος ἐξαίφνης πρὸς πῦρ ἐλθόντι ἢ λουτρὰ θερμά. ταῦτα γὰρ ἢν ὕστερον ποιήσει, ἔτι οὐδαμῶς ἐκθύει. ἐπεὶ ὁκόσα γε ἐκ ψύχεος γίνεται, ἢ ὁκόσα τρηχύνεται κεγχρώδεα, εἴτ᾽ ἐφελκοῦται, τὸ μὲν ψυχρὸν βλάπτει, τὸ δὲ θερμὸν ὠφελέει.

Hoc est, uelut nos in nostra omnium Hippocratis scriptorum conuersione reddidimus.

" Aqua frigida prodest papulis rubicun-
" dis, quales alia atq; alia parte sublatæ erum
" punt, quales per splenia attractoria emer-
" gunt: in carnosis uerò & tenera carne prædi
" tis subrubicundæ sunt: in nigris autem rotun
" dæ, dothienes, hoc est furunculi appellatæ: et
" quales in ipsis calidis lauacris oboriũtur, &
" mulieribus ex mensiũ sub cutẽ recursu fiunt.

& ab irritamentis cutis, aut insolita uestimentorum asperorum gestatione, & ex sudoris exitu, aut ubi quis ex frigore derepēte ad ignē, aut calida lauacra accessit. Nam si hæc posterius fecerit, nequaquam amplius erumpunt. Alioqui quæ ex frigore fiunt, aut quæ exasperantur instar milij, deinde exulcerantur, eas frigida lædit, calida uerò prodest. Hæc Hippocrates. Quum igitur & ex hoc loco, & eo quem paulò antea ex septimo libro Morborum popularium adduximus, reliquorum ferè generum pustularum curatio in summa quadam cognoscatur, uideamus nunc deinceps de his quæ in pestilentibus febribus erumpunt, quam curam requirant. Et primum quidem etiam hic, uelut in superioribus tumoribus ac abscessibus, itemq; carbunculis uena secetur, ad animi deliquium usque, si ex sanguine fit febris, et sufficiat æger, & neq; ætas neq; aliud quicquam prohibeat. Secunda autem est uena regia, aut etiam capitalis, siue cephalica, aut ambæ deinceps, hæc posterius, illa prius. Quòd si quid prohibeat, cucurbitularū usus, uenæ sectionis loco assumendus est, atq; hæ primum natibus affigantur cum scarificatione. Deinde etiam scapulis

Pustularū curatio.

pulis

pulis, pro uirium, & morbi, & temperamenti ægri ratione, faciendo sanguinis detractionem. Neque hic incommodum fuerit infusum per clysterem præmittere, aut glãdulam subdere, ad communes superfluitates educendas. Nec omittendum est etiam hic, ut aliquod ex his quæ per sudorem liberant, medicamentis exhibeamus, uelut in superioribus dictum est. Atque hæc antea quàm appareant pustulæ, futuræ tamen expectantur, facere præstabilius est, dum adhuc uenenosi ac corrupti humores hincinde per corpus discurrunt. Et ante hoc tempus etiam purgatio humorum, si hi magis abundarent, & in profundo adhuc subsisterent, faciẽda est. Nam ubi iam in cute consistunt, nec superfluitas subest, per cutem ipsas euacuare oportet, & non procul distrahere, contra ipsum naturæ motum, id quod contingeret, si per uentrem infernè, aut per uomitum supernè quis euacuare conetur. Quòd si tamen uenæ sectio, aut cucurbitularum affixio, ante pustularum eruptionem facta non esset, neque tunc facere incommodum esset, quo natura superfluo multitudinis onere leuata, id quod reliquum est eo potentius ad cutem propellere poßit. Et ut hoc procli-

uius contingat, adiuuanda est etiam natura, exhibitis his quæ papularum materiam ad cutem propellere possunt, quale est lentium decorticatarum decoctum, & per se, & additis caricis, aut uuis paßis, & fœniculi semine, aut etiam radice, itemq; intybi radice: uel in hunc modum, ut recipias lentium decorticatarum manipulum unum, seminis fœniculi semiunciam, tragacanthæ drachmas duas, & ex his aqua decoctis ad dimidias, aut ad tertiam partem, decoctum ipsum bibendum præbens, cum zacchar o edulcatum. Sunt qui etiam per admotas cucurbitulas, aut etiam per affixas hirudines, papulas prolicere conantur, quemadmodum tumoribus easdem apponi, in superioribus diximus: sed in hoc diligens animaduersio habenda est, ne dum naturam hac parte iuuare tẽtamus, motum ipsius præuertamus, atque sic impediamus, & magis obturemus, quàm euacuemus, & uires debilitemus, quarum attritione æger in non leue discrimen adducetur. At uerò ubi iam extent pustulæ, ad hoc properandum est, ut maturescant & rumpantur, & resiccentur ac decidant. Quare eas quæ non sua sponte rumpuntur, & tamen dolore infestant, etiam acu

ta acu perforare oportet, ad commodum saniei defluxum, ne uidelicet hæc diutius suppressa partem erodat: deinde contentum in ipsis humorem leniter exprimere, ita ut cutis præposita sinatur, donec ad cicatricem perductum fuerit id quod sub ipsa est exulceratum, etiamsi uulnusculo occluso repletam sanie pustulam iterum atque iterum perforare ac exprimere opus sit. Aßidue itaque sanies detergatur cum serico crudo, aut tenerrima lana, ut ne uulnusculum occludatur, et tamen cuticula indiscreta sinatur. Et postea cerussa cum thure ex rosaceo & uino dulci illinatur: aut spuma argenti cum thuris manna & rosaceo. Possunt autem hæc etiam in cerati formam reduci, & partibus uicinis imponi, ita ut aqua paretur pustulis tantum resiccandis admouenda, in hunc modum. Lentium, & rosarum rubrarum, & foliorum myricæ, singulorum manipulus, ligni sandali rubri semuncia, salis communis uncia, & caphuræ scrupuli dimidium, ebulliant in aqua rosacea ad tertiæ partis consumptionem. Et hac aqua linteolum imbutum ac expressum pustulis solis ex leui contactu admoueatur, diligenti animaduersione habita, ne nimius inde dolor,

Aqua pustulas resiccans.

aut

aut etiam abſceſſus inducatur. Poſtea uerò unguentum album Galeni ſine aceto paratum, illinatur: aut unguentum de ceruſſa: aut ſpuma argenti & ceruſſa cum oleo roſaceo & cera ad unguēti formam redacti: aut ſpumam argenti & ſulphur uiuū æquis portionibus, cum aceto & oleo myrteo ad ſtrigmentitiam ſpiſsitudinem trita, cum uino & oleo roſaceo illinito. Et puſtulas quidem in facie conſiſtentes aqua calida ſæpe proluere ac mitigare oportet. In reliquo uerò corpore ſpongijs calida imbutis diutius fouere, maximè prurientes. At cruſtis remouendis ſatis eſt butyrum cum aqua roſacea lotum illinere. Atque hæc ferè eſt curatio in ſumma quadam deſcripta puſtularum in peſtilenti conſtitutione apparentium. Nec multum ab hac curatione euariat ea quam rubores, ἐρυθήματα Hippocrati uocata, requirunt: qui & ipſi in peſtilentibus febribus per totum corpus oriūtur ſimiles culicum morſibus, unde etiam μώλωπες, hoc eſt, uibices appellantur, quum neq; ulcus, neque cruſtam faciant: quanquam etiam aliquando ulcerari ipſos cōpertum ſit. Huiuſmodi rubores etiam Hippocr. in mor. pop. oriri nouit. Lib.7. morb. popul.
Sic de fullone. Fullo in Syro, inquit, phreniticus

cus cũ moueretur cruribus tremulis, corpus
uelut à culicibus compunctũ. Et postea eodẽ
loco de Pherecyde: Octaua, inqt, apparebũt,
uelut culicũ morsus. Et postea etiam pustulas
eosdem rubores appellat, τῷ εὐφράνορος παιδὶ
ἐξανθήματα οἷα ἀπὸ κωνώπων, id est, Euphrano
ris filio pustulæ uelut à culicũ morsu. Et hos
non solum fieri dicit, sed etiam quid orientes
significent declarat, in Coacis prænotioni-
bus: Rubores, inquit, in manibus ac pedibus
perniciosi. Et rursus: Febrientibus quibus ru
bores sunt in facie, & dolor capitis fortis, &
uenarum pulsus, his sanguinis fluxio plerun-
que contingit. Quãquam hi in facie rubores,
sanguinis per nares eruptionem molientis in
febribus signa sint, & diuersi generis ab eo de
quo hic agimus. At rubores in extremis parti
bus in morbis acutis orientes, deficientis iam
naturalis caloris significationẽ exhibent, &
morbi uictoris uelut erecta de illo trophæa
apparent. Sic etiã dixit, lingua tremula cum
rubore iuxta nasum, malum est. Et in peri-
pneumonijs siccis rubores in pectoribus sub-
latos, perniciosos esse dicit. Et nos iam sæpe
uidimus, nullos peripneumonicos in quibus
rubores essent, huiusmodi euasisse: & nuper

ad

ad quendam acciti, cui à quarta usque ad decimam diem tales rubores & in pectore, & in dorso, maximè tamen in cruribus latiores quàm alibi essent, quum priori cuidam medico superinducti essemus, qui gangrænam morbum esse putaret, & unguentis ac emplastris & cataplasmatis, pro more quodam suo impositis, curationẽ moliretur, discessimus prædictione facta, illum periturum esse sub decimumquartum diem: quod etiam contigit, medico illo adhuc strenuè in gangræna delẽda se fatigante, καὶ τὸν περιπνευμονικὸν καταγαγγραίνοντος. De talibus ruboribus etiam alia eiusdem Hippocratis prænotio est eodem libro, ac loco non longè à iam relato. Qui circa articulos, inquit, rubicundus in superficie pustulas habent, insuper rigorem: hi circa uentrem & inguina rubefiunt, uelut ex plagis dolorosis, et moriũtur. Sed hæc longius et extra propositæ tractationis rationem, quare iam ad prænotionis in peste signa progrediemur.

Signa prænotionis de uita aut morte peste correptorum. Cap. VII.

QVod igitur ad prænotionis signa, quæ ex relatis tumoribus, abscessibus, car-

bunculis, pustulis, ruboribus sumuntur, attinet, ita ferè in totum cōstituendum est, quòd quanto citius hæc apparent, & remotius à principalibus partibus depulsa, tanto maiorem spem faciunt uirium robustarum, et hoc eo amplius, si æger alleuari ac melius aliquãto habere uideatur. Contrà uerò si horum eruptio moretur, aut satis etiam citò appareat, circa partes tamen principales, & præsertim cordis loca, ad quæ illud uelut emungere se solet, nec inde alleuetur æger, timorẽ mortis inducit: & tunc maximè si quid horum rursus euanescat: quanquam in pustulis ac ruboribus compertum sit aliquando euanuisse hos, & tamen conualuisse ægrum. Atq; ita uidetur etiam Hippocrates docuisse quum ait, Vlcus autem siue prius factũ fuerit, siue in morbo accesserit, cōsiderare oportet. Si enim periturus est homo, ante mortem liuidum ac siccum erit, aut etiam pallidũ & siccum. In carbunculis itaque color uiridis, aut liuidus, aut niger, letales censentur: rubicundus autem & flauus, aliquã salutis spem secum afferunt. At in pustulis ater, aut ad nigredinem tendens, mortem præsagiunt. Eandem prænotionem etiam rubores exhibent,

In lib Præno. principio.

si ad

si ad atrum aut liuidum calorem tendunt. Si uerò pustulæ fuerint paruæ, paucæ, hinc inde per corpus dispersæ, coloris albidi aut subrubicundi, & satis molles, salutem sperare licet. Verum ad omnia hæc intelligendum est, etiam uires ualidas esse ac uideri oportere. Nam his languescentibus etiam alia bona signa meritò suspecta esse debent. Vrinarũ præsagium incertum est, uelut etiam in superioribus diximus. Itaq; neq; in bona multum fiduciæ ponendum est, neq; de mala penitus desperandum, etiamsi nihil boni mala promittat. Rectißimè enim monuit Hippocrates, In omni anno, & omni tempore, mala malum, bona bonum significare. Et proinde utrorunque collatione diligẽter fulta, utra plura aut potiora fuerint, in eam partem, tum in acutis morbis omnibus, tum in popularibus ac peste prænotionem facere oportet. Aßiduæ certe nauseæ cum uomitione, aluus immodicè fluida, cum animi deliquio & uirium exolutione, sudor frigidus circa faciem & pectus, aut totum corpus, non sunt signa moriturorum, sed iam iam morientium.

Vrinarum indicij incertitudo.

In lib. Præno. fine.

Epilogus.

Hæc in præsens de peste commentari, & in publicum edere satis esse duxi, & sufficient

omnino

omnino his qui methodi medendi gnari, & his uelut commonefieri se patiuntur, ad ea obeunda ac præstanda, quæ ipsi antea & di dicerunt, & meminerunt. Nam si quis ἀμύθοδ@ ad hæc præscripta usurpanda se conferet, haud scio an cum fructu, & sua & aliorum utilitate hæc sequetur. Sunt tamen quædam in his, quæ etiam idiotis penitus utilia esse poßint, si probè cognita aut sequi, aut uitare uoluerint, prout alterutrum faciendum monuimus. Cognoscent autem & hinc studiosi, qui nos hactenus sectati sunt, nostrã erga se uoluntatem. Nam in ipsorum maximè gratiam eiusmodi labores suscipimus. Quandoquidem uerò Medicorum, qui in Germanicis urbibus hinc inde nõ pauci publicis stipendijs conducti degunt, et physici etiam uulgo appellari solent, officium est ut nõ solum præsentia diligenter curent, sed etiam de futuris malis, maximè si quid populariter grassaturũ imminet, candidè admoneant, uolo et eas in quibus superiore ætate uixi urbes, & in qua nunc dego patriam, hinc intelligere meam erga se fidem, ac in præstando officio integritatem: & spero etiam illas bonam erga se uoluntatem meam hinc agnituras esse,

Medicorum physicorũ officium.

& tibi quoq; Clarißime Mordisi, gratiam se debere confessuras, quòd hæc in tui nominis splendore in primis apparere uolui: cui ob eximiam eruditionem prudentiamq; ac reliquam uirtutem commendatißimus esse cupio, & hæc Salue & Vale adscripto missa esse uolo, é Zuiccauio, Anno à natali Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo.

Librorum De peste, à Iano Cornario editorum, Finis.

IANVS CORNARIVS Medicus physicus Ioanni Trogero Gordelicensi physico S.D.



Vum tot extẽt ubiq; libelli, qui de peste præcipiunt, nõ solum Græcorum & Latinorum autorũ, sed etiam Barbarorum, & Gallorum ac Italorum, practicorum appellatorum medicorum: & quidam etiam uulgare lingua editi. Deinde *tot habeantur in omnibus pharmacopolijs antidota, eclegmata, trochisci, pastilli, puluilli bezoartici barbara appellatione inscripti, quæ omnia partim præsumenda, partim in primo mali sensu accipienda, partim post insultum & occupatum iam corporum statum ingerẽda, adhibenda, facienda, fugienda præscribuntur, exquisito utendi modo addito, & singulorum temporum ferè momento obseruato, apud eosqui diligentißimi ex istis haberi uolunt:* Postea *uerò* etiam *illud* Poetæ *teneas*, τοὺσδε δ᾽ ἔα φθινύθειν ἕνα καὶ δύο. *Sunt enim quos ne* Iupiter *quidem seruare poßit, aut seruatos uelit.* Inuitũ *quis enim ser*

Practici medici.

uare laboret, ait ille: non uideo quid à me requirere debeas amplius, præsertim in his deligendis adeò ipse iudicio præstans, ac longo usu instructus, ut quæ in his probanda sunt, abundè dijudicare poßis. Et alioqui hæc res breuibus à me præstari adeò nõ potest, ut nõ dierum aut paucorũ mensium spacio absolui possit, quod meum nomẽ præferre patienter feram. Quantum autem hinc documenti, ea quæ in Hippocratem ac Galenum molior, paterentur, facile ipse æstimabis, etiamsi ego nullus dicam, nec adijciam nouum, ac immensum laborem recens susceptum, totam Platonicam philosophiam illustrandi et ad latinos transcribendi. Quod porrò ad duos illos mihi adducas & te tertium collegam attinet, fac quod facis, nõ modò accuratè ac diligenter, sed etiam properè ac festinanter, quantum res ipsa ferre uisa fuerit. Nam ita turbato circa religionem totius Germaniæ statu, non scio quæ satis matura properatio censeri poßit, ne aliquid mali propter uicinum malũ patiare. Sed perturbabat te quartana arbitror, laudatißima illa febris, Encomio quondam Phauorini philosophi celebrata. Ex qua etiamsi tu nunc molestias sentis,

Quartanæ laus.

tamen

tamen aliquando exclusa illa, talem corporis habitum acquires, ut quasi renatus esse tibi uideri possis. Hoc est enim quod omnes, qui aliquando ex illa laborarunt confitentur. Et alioqui rationi consentaneum est, post exagitatum ac expurgatum grauissimum corporis humorem, magnam reliquorum moderationem sequi. Quæ res tibi octaui septenarij climactericum annum, ut arbitror, egresso, aut propè in eo consistenti, de successura quieta ac iucunda uita magnifica quædã promittit. Nosti autẽ ueteres ferè omnes, & ipsos etiam medicos diligentissime hos climactericos annos obseruasse, ut qui ferè semper in corporibus mutationes & morbos moueãt, in his maximè qui certum quoddam uictus præscriptum sequuntur, non nimijs laboribus, aut defatigationibus, aut repletionibus se tradentes, non tamen omnem excessum exquisitè adeò seruantes, si occasiones ferant, ueluti in Germania nostra mos est, amicos aliquando obsequi, & largius se poculis inuitare. Et non solum morbos, & corporum mutationes, annis climactericis siue scalaribus, à scansili annorum lege appellatis contingere, sed etiam mortes, in multis præstan

Climacterici anni.

tibus nostro æuo hominibus animaduerti, & maximè septimo et octauo climacterico: quũ tamen ueteres magis obseruarint & timuerint nonum, qui est annus sexagesimus tertius, quo Aristoteles discessit. Et hunc se excessisse Augustum Cæsarem gloriari legimus his uerbis, à Gellio ex epistola eius ad Caium relatis: Spero te lætum & bene ualentem celebrasse quartum & sexagesimum natalem meum. Nam ut uides κλιμακτῆρα communem seniorum omniũ tertium & sexagesimum annum euasimus. Sunt aũt sexaginta tres anni, nouies septem, aut septies nouem anni, ita ut de septimo anno in septimum, quasi de scalæ gradu in alium gradum transitus fiat, non sine periculo. Sicut scandentibus non firmato in scalæ gradu pede periculum imminet, sed ubi iam de gradu in gradum se transmouent. Atq; hoc est quod etiam Hippocrates in libro de Carnibus dixit, & multis argumentis probat, uitam hominis septem dierum esse, & totam hominis naturam septenario numero subiectam esse. Quum autem idem Hippocrates eiusdem libri fine dicat, se in alijs locis declaraturum esse hanc naturæ necessitatem, quapropter in septem hæc singula dispensen

Annus 63.

Aristotelis mors.

Septenarij numeri uis.

penſentur: optandum eſſet ea illius ſcripta extare, in quibus hanc rem clarius declarauit. Nã in his quæ extant, nihil luculẽtius dictum reperimus, de hac naturæ cũ Septenario neceßitate. In libro enim de Septimeſtri partu ſimpliciter dicit, annorum ſeptenarijs multa in corporib. inſignia fieri. Et in Aphoriſmis, plurimas pueris affectiones tum in ſeptem menſibus, tum in ſeptem annis iudicari dicit, quaſdam etiam ad pubertatem accedere, hoc eſt bis ſeptimum annum, & tunc finiri, aut diuturnas fieri. Sed quid ago qui hæc ad te perſcribo, ueteranum adeò Hippocratis copiarum ſectatorem? Galenus meus Latinus editus extat. Græcus idem infinitis locis à me correctus, ex officina Ioannis Heruagij, induſtrij et admodum diligentis ac eruditi typographi edetur. Diui Baſilij opera Græca à me collecta, & ad uaria exemplaria corrècta, ex officina Frobeniana illuſtri illa, & per omnem Europam celebri edentur, Iulio pontifici Neopyrgenſi inſcripta. Et Latinus quoq; noſter inde in illius nomine apparebit. Edentur etiam Commentarij noſtri medici in Galeni libros κατὰ τόπους ſcripti, à me reuiſi & aliquãto auctiores. Paulus Ægineta

3. aph. 28.

Cornarij opera & labores.

& mea

in illum dolabellæ nondum repererunt emptorem. Symposium nostrum Germanicum, ad Platonicum & Xenophonticũ adiectum, credo te habere. Præfationem siue libellũ nostrum de Recto rerum iudicio, in Platonica quædam scriptũ, cum hoc tabellione tibi mitto. De diurnalibus in Hippocratem à me institutis incertum est, aduesperascit Domine, & nulla profectò est tantorum laborum gratia, aut utilitas quæ ad nos deueniat, ut ego illud sæpe mihi obmurmurem: Omnia sunt ingrata, nihil fecisse benignè est. Vale, & ualetudinem tuam diligenter cura, mi Trogete.

Zuiccauij, Dominica Esto mihi.
Anno Christi
1500.

Basileæ, per Ioannem Heruagium, anno Domini
M. D. LI.